ORATIONES SECULARES,

QUARUM ALTERA
AB

ERICO BENZELIO,
THEOLOGO DOCTORE ET T.T. PROFESSORE ORDIN. JAM VERO DIOECESEOS GOTHOBURG. EPISCOPO, CONSISTORII REG. PRÆSIDE, SCHOLARUMQUE EPHORO

IN ACADEMIA UPSALIENSI,
DE

CAUSSIS SECESSIONIS AB ECCLESIA ROMANENSI, MAGNIS, JUSTIS ET NECESSARIIS,

IN MEMORIAM REFORMATIONIS,

A. 1721. D. 18. MARTII;

ALTERA VERO
A

GEORG. FRID. NIEHENCKIO,
THEOL. DOCT. ECCLESIÆ GERMAN. GOTHOB. PASTORE PRIM. ET CONSISTORII REG. ADSESSORE,

IN GYMNASIO GOTHOBURGENSI,
DE

PIO ET JUSTO RELIGIONIS ZELO SVECORUM,

IN MEMORIAM AUG. CONF.

A. 1730. D. 15/26. JUNII,
HABITA EST;

CUJUS ET CONCIO JUBILÆA ACCESSIT.

HAMBURGI,
APUD KOENIG ET RICHTER, A. CIↃ IↃ CC XXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

D. ERICI BENZELII

ANTEHAC

THEOL. PROFESS. ORDIN. IN VNIVERSITATE VPSALENSI

NVNC

EPISCOPI GOTHOBVRGENSIS,

ORATIO SECVLARIS.

Digitized by Google

Reverendisſime in Chriſto PATER & ARCHI-EPISCOPE,
Magnifice Dn. RECTOR,
Generoſisſimi Dn. Dn. COMITES & BARONES,
Ad. Reverend. Conſultisſimi, Experientisſimi & Amplisſimi Dn. Dn. PROFESSORES,
Nobilisſimi, Clarisſimi, Ornatisſimi AUDITORES *ceteri!*

Si intereſt publicæ rei, magnorum beneficiorum memoriam non perire, & huic fini mortalium antiquisſimi, ſapientiæ gloria inclyti, dies inſtituere feſtos, ſtatis temporibus celebrandos; utique par eſt, nos, qui ab omnis felicitatis auctore CHRISTO nomen præſtantisſimum adepti ſumus, & immortalis Dei tanta meruimus beneficia, ut ne majora quidem humano generi præſtari posſint, eadem ſolemnibus feſtis recolere.

Et celebravimus quidem ferme ab exordio redemti orbis Apoſtolica auctoritate *Dominicum Diem*, (a) quo & mundus conditus, &, qui noſtri cauſſa mortem omnium acerbisſimam perpeti non dedignatus eſt, reſurrexit a mortuis, & conſpiciendum ſe præbuit mortalibus. Celebravimus a tempore, quod huic proximum, Naſcentis, Patientis, Reſurgentis, in cœlum ineffabili gloria Adſcendentis Triumphatoris annua feſta. Celebravimus eâdem, i. e. Chriſtiana libertate jam diu alios dies feſtos, ne ſeneſceret in animis hominum recordatio gratiæ, ſine qua triſtis ac miſera foret conditio generis humani.

Non

(a) Barnabas Epiſt. p. 244. Vosſii. Juſtinus Martyr Apol. II. p. 77. Sedulius, Carm. V. 317.

Digitized by Google

Non inficiamur, creviſſe temporum ſucceſſu numerum, atque ita creviſſe, ut feriati dies damno & noxæ eſſent publicis ac neceſſariis occupationibus, unde jure meritoque in ordinem redacti ſunt. Interim crimine ac culpa carere cenſenda eſt cura majorum, qui ſive placandi Numinis irati cauſa, novos Supplicationum dies: ſive de ſingulari & eximio beneficio ſolemnia ἐυχαριςήρια indixere.

Juſſu & auctoritate FRIDERICI, Regis noſtri Auguſtisſimi, celebravimus heri Secularia Sacra, divinæ clementiæ ac bonitati gratias agentes de immortali beneficio, ante hos ducentos annos communi patriæ, qua aras, qua lares præſtito. Non ullæ quidem condignæ referri poſſunt gratiæ, & quid homo miſer, caducus, & ubique egenus Deo ſuo referre poteſt? Vidimus tamen lætantem populum

Ter die claro

frequentisſimum confluxiſſe in Templa, modo erectum ſublatis in cœlum manibus prædicaſſe infinitam in majores, in patres, in ſe, Dei Opt. Max. benignitatem ac indulgentiam: Modo provolutum in genua, easdem ſibi, poſteris, ſerisque nepotibus ita exoptaſſe, ut majora non extare potuerint devoti animi indicia. Et pie ſperamus, gratas fuiſſe Deo indulgentisſimo ardentes has ſuorum preces, hæc oris, hæc cordis ſacrificia.

Utique ſi Feſti raritas animos commovere ac calefacere debuit, ipſum hoc, non niſi

Denos decies per annos

recurrens, maximo gaudio ac gratulatione celebrandum fuit. Computarunt illi, qui propius aberant a divina origine rerum ætatem ſuam per ſecula, in nos, cum vix virilem togam induimus, irruit ſenectus, & niſi ſtatim vitam velut æs alienum reddiderimus, (b) mors tanquam fœnerator adſtans pignus repoſcit, ab alio viſum, ab alio auditum, perſæpe utrumque. Non deſunt prorſus, noſtra ætate, exempla τῶν μακροβίων, fateor, & eorum qui Jani inſtar bicipitis, in novum Seculum faciem convertant. Ut cætera taceam, fecit nuperrime orbis literatus jacturam viri præclare de ſe meriti, PETRI DANIELIS HUETII, qui ante hos ſeptuaginta admodum annos Svethiam noſtram adiit, agens tunc annum quintum ſupra triceſimum; ſed rara utique hæc exempla, & ſingulis ſeculis:

Vix ſunt numero totidem, quot
Thœbarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Nec naturam ideo in jus vocamus, qui beatam mortem rerum omnium exoptatisſimam eſſe novimus.

 Nos

(b) Æſchines Socraticus Axiocho.

Nos vero & ſeculare Feſtum, *quod nec vidimus antea, nec viſuri poſtea ſumus*, & multo magis Divinorum beneficiorum magnitudo ac cumulus, excitavit.

Ipſi vobiscum recordamini, Auditores, malorum, quibus obruebatur patria ante hæc duo ſecula. Obſedit animos nova, ſi cum vere antiqua conferatur, doctrina Pontificis Romani: literarum ac bonarum artium, quarum adminiculo juvari ſervarique imperia conſtat, rara ſeges erat; quod ad corpora fortunasque noſtras, quanta Bone Deus! majores noſtros tunc circumſtetit miſeriarum ac calamitatum cohors; verbo omnes complecti vobis videbor, ſi dixero, parum a ſervitute eos abſuiſſe. Hanc enim ſi quis omnium malorum maximum negavit, næ is neſcit, quid ſit hominem eſſe, & utrum homines a feris beſtiis diſtent.

Non id dico, tunc in clientelam externi imperii redactam fuiſſe gentem noſtram; nam etſi non ſit mihi multa cognitio rerum veterum patriarum, non tamen ignoro, inde ab hiſtoricis temporibus, nunquam patriam noſtram externa vi occupatam domitamque fuiſſe, ut ut magnam ſui partem hoſtilibus ſubinde patuerit impresſionibus: nec audiendos cenſeo, qui vel Germanico vel Danico imperio illam unquam ſubjectam fuiſſe aſſerunt ac confirmant. Id novimus, Gothos noſtrates Italiam, Galliæ partem, Hiſpaniam, jure belli quondam diu tenuiſſe. Sed dum parum a ſervitute abſuiſſe majores noſtros dico, id temporis intelligo, quo CRHISTIERNVS II. Rex, omnia in nos licere ſibi ratus, ferro, flammis, & univerſo extremæ crudelitatis genere in capita, in domos, in fortunas noſtras ſæviebat.

Ab his vero malis, divino beneficio, opera GUSTAVI PRIMI, Regis victorioſiſſimi, liberati ſumus, ipſo hoc ducenteſimo hinc anno. Ejusdemque hujus talis ac tanti Herois zelo paullo poſt repurgata ſunt Templa, & a plurimis corruptelis vindicata doctrina eccleſiæ.

Urbis conditæ Seculares ludos egerunt Romani; nos ne ejus anni oblivio capiet, quo felici reparatione temporum communis Svethiæ libertas vindicata, tenebræ diſcuti cæptæ? Certe non alius patriæ noſtræ illuxit annus lætior, & veneramur providentiam auguſtiſſimi Regum GUSTAVI SECUNDI, in cujus primos imperii annos ſeculi diſcurſus incidit, quod libertatis ſolemnem memoriam nobis commendarit ac veluti injunxerit.

In tanta lætitia cuncti imperii, non mutas eſſe oportet camœnas noſtras Upſalenſes; nam præter felicitates patriæ, in publicum & commune conceſſas, ſingulares ſunt & propriæ, de quibus & hæc diœceſis Archi-Epiſcopalis, & alma mater Upſalia ſibi gratuletur. Non memorabo eque-

ſtre

Digitized by Google

ſtre prœdium *Vala* in parœcia Skepthunenſi, quod illuſtribus atavis GUSTAVI, Patris Patriæ, vindicis libertatis, cognomen dedit, in hac diœceſi ſitum eſſe: omittam, in proedio Lindholmen parœciæ Orkeſtanæ, in eadem hac diœceſi, natum GUSTAVUM: tacebo, eum, in ipſa hac literarum ſede, fundamenta jeciſſe ſapientiæ ac eruditionis, quibus tantum poſtea profuit patriæ: multa prætereo eaque præclara, ad ſingulare enim factum piiſſimi Regis feſtinat oratio: (c) in hac urbe primum diſcuti & examinari juſſit OLAVI ac LAURENTII Nericiorum doctrinam, quæ noxiæ novitatis calumnia premebatur, eo quod Wittebergæ LUTHERUM audierant, & nihil in rebus Fidei, niſi auctoritate Verbi Divini munitum, cenſerent ſtatuendum. Hac diſputatione effectum eſt, ut veritas latius pateſceret, & uſquequaque in Svethiam diſpergeretur. Id ſi neglexero, vereor, ne ingrati videamur, GUSTAVUM MAGNUM ipſo anno ſeculari, ea cura ac munificentia exornaſſe camœnas noſtras Upſalenſes, ut, quum ante exiguus eſſet numerus Profeſſorum, & qui inſtitutioni undique confluentis Juventutis vix ſufficeret, ſeptendecim poſthac eſſe voluerit, adſignato ſingulorum meritis ac diligentiæ ampliſſimo auctoramento.

Intelligitis, Auditores Honoratisſimi, non ſimplici ratione ad pietatem pertinere camoenarum Upſalenſium aſſertæ Religionis veræ, & meritorum de patria per GUSTAVOS ſecularem Memoriam. Et cum me, Patres Academici, hodierno die præconem elegeritis tantæ lætitiæ, veſtriſque voluntatibus refragari mihi religio ſit, veſtras, omniumque veſtrum, Auditores, faventeis ac benevolas aures imploro atque obteſtor.

Sed ne vagetur atque oberret oratio mea, dicamus de cauſſis funeſti Schiſmatis, quod diu multumque metuerunt viri probi, & cum nulla malo medicina eſſet, apertius erupit duobus hinc ſeculis, facem præferente in Saxonicis terris viro omnis memoriæ laudatiſſimo, Doctore MARTINO LUTHERO, qui primus ſua ætate animoſe ac fortiter felicique eventu, curiæ Romanæ enormes errores toti propemodum orbi patefecit. Sic patebit, qui vere in culpa ſint: Majores ne noſtri an Romanenſes, qui nos invidioſe criminantur Schiſmaticos.

Itaque, etſi nihil ſanctius, nihil antiquius, nihil gratius nobis eſſe debeat concordia, qua & res parvæ creſcunt, &, quæ incrementa cepere, aluntur: immo, ſine qua foret, ne quidem univerſum hoc, quod adſpicimus, in quo vivimus, conſiſteret: Quam DEUS OPT. MAX. tam per viros ſuo SPIRITU actos commotosque, quam viva voce cum in hunc orbem ter-

(c) Anno 1524. die S. Stephani v. Tegels Hiſt. Guſt. I. p. 100.

Digitized by Google

rarum mira indulgentia deſcenderet, noſtriſque oculis obſervaretur, ſollicite commendavit, atqui ut ceteris in rebus, ita & in doctrina Fidei religioſe obſervandam monuit. Dolendum tamen, nihil frequentius, nihil communius eſſe diſcordia, rixis, contentionibus. In id unice omnes vires, omnes nervos intendere videtur genus humanum ut ſe mutuum deſtruat. O! miram & incredibilem DEI patientiam, quæ in propria ſævientes viſcera homines tot ſeculorum recurſu perfert.

Quod ſi turpe eſt univerſitati generis humani in mutuam perniciem irruere, nec homines barbari ignorantiam communis vinculi excuſare poſſunt, quod ut diſcant, non opus eſt magiſtro, cum non ſcriptum illud ſit, ſed natum, ad illud non docti ſed facti ſint; Quanto turpius, nos Chriſtiani a tanto magiſtro edocti, concordiam non amplectimur, ſed veluti ejuramus. Et ſi aliorum animos famoſa ſtatus, famoſa belli Ratio ad arma capeſſenda incitant & acuunt: aliis juſtæ defenſionis neceſſitas ferrum manibus inſerit; cur, qui uno capite gloriamur CHRISTO, Fidei conſenſum ac unitatem interim non ſervamus?

Hortatur Corinthios, pariterque nos omnes Apoſtolus, (d) etiam blando ac ſvavi *fratrum* nomine compellens, per illum, cujus cauſſa nihil omittere deberemus Dominum JESUM CHRISTUM, *ut omnes unum idemque loquamur, & ne ſint in nobis ſchiſmata:* alibi monet, *diligenter ſtudeamus ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis:* (e) Grave itaque crimen eſt, eſſe ſchiſmaticum, & quia illo teneri nos criminantur Romanenſes, a quibus ante hæc duo ſecula diſcesſimus, age videamus, qui vere in crimine ſint: utrum nos, qui Lutheranorum nomen non affectavimus, ſed admiſimus: non cupide adpetiimus, ſed gravibus de cauſſis non ſprevimus, non rejecimus, nos ne, dico, an illi, qui ſibi videntur:

Quidquid rudibus mundi naſcentis in annis
Mos habuit, ſancte colere ac ſervare. (f)

Ceterum ne aliquis nominis controverſiam moveat, prædicendum, aliud Schiſma eſſe turpe, aliud vitio carens. Atque ut nova ac recentia taceam, JEROBOAMI a cultu veri DEI defectionem, in erigendis altaribus peregrinis, in decernendis ſupplicationibus ad pulvinaria deorum, nefandum ſtudium ac induſtriam Chutæorum, auſpiciis, turpe dictu! ipſius archi præſulis MANASSIS in montem Gariſimicum ſeceſſionem, & in novo templo exſtruendam petulantiam, ſi quis non carpit ac deteſtatur, is omnem reverentiam unius ac æterni Numinis decoxit. Pudenda hæc erant Schiſmata & impia, cujus generis *ſectatores abominatur Deus*, ceu ait Regum ſapientiſſimus. (g) Contra

(d) 1. Cor. 1, 10. (e) ad Epheſ. 4, 3. (f) Prud. contra Symmachum II. 277. (g) Prov. 3, 32.

Digitized by Google

Contra culpa caret, immo laudandum eſt Schiſma ABRAMI, qui, ſpretis idolis, Transevphratenſes Chaldæos, avitam domum deſeruit, unius DEI cultui ſe mancipavit; Laudandum eſt Schiſma FL. CONSTANTINI, a rerum geſtarum gloria Magni cognomen adepti, qui exoſus paganicos ritus uni DEO ſe dicavit, & primus Imperatorum halcyonia dedit eccleſiæ. Plura cumulare exempla non e re eſt. Quamcunque ſeceſsionem qui culpant & inſectantur, hi majores ſuos, qui primi ſpurcis ac nefandis paganiſmi dogmatibus renuntiarunt, quique pulcerrimis exemplis, ſæpe etiam ſanguine ſuo poſteritati præiverunt eâdem opera detrectant. Hi cum inepte præſcriptionem urgent, non cogitant, quod ſemel falſum, nunquam vetuſtate ſua fieri verum, atque ut præclare divus Carthaginenſium præſul CYPRIANUS: *Vetuſtas ſine veritate, nihil niſi inveteratus error.* Hi vel legiſſe non meminerunt, vel, ſi legerint, ſpernunt cœleſtem vocem: *exite ex Babylone, popule mi, ne participes ſitis peccatorum ejus, & ex plagis ejus accipiatis.* (h)

Itaque ſi adverſarii, dum Schiſma nobis exprobrant, ab Eccleſia vera ſeceſsionem nos feciſſe dicunt, & Chriſtianam ſocietatem a nobis violatam eſſe criminantur, pernegamus. Novimus & fatemur, *non habere in cœlis Patrem, qui non habeat in terris eccleſiam Matrem:* Contra ſi ab eccleſia Romanenſi, qua parte recentia dogmata ſua ſequitur, nos defeciſſe dixerint, non inficiamur, immo confitemur & præ nobis ferimus. Quamobrem docebo, Seceſsionis hujus fuiſſe majoribus noſtris Cauſſas *Magnas*, *Juſtas*, *Neceſſarias.*

Id niſi evicerimus Evangelici, graviſſimi criminis rei ſumus, DEUM hominesque pios offendimus: adhæc ſi quos alios levitas ac inconſtantia agitaret, ut eſt, proh dolor! multis in laude nova moliri, & vel minimas ob cauſſas Eccleſiam deſerere, iis fores panderemus, quum jure in nos id licere dicent, quod olim nobis in Romanenſes licuiſſe docemus. Non ſum adeo ſuffenus, ut vel horulæ ſpatio, cujus & pars magna jam effluxit, vel oratione, quæ etſi minime ambitioſa, non tamen omnes ſubtiliter diſputantium leges ac voces admittit, id efficere me poſſe credam: adhæc præcepere hanc tractationem locupletibus ſcriptis ſuis viri præſtantisſimi, & in his nuperrime optimus ac eruditisſimus vir ERNESTUS SALOMON CYPRIANUS. Sed per ſumma capita ibo, eorumque morem imitabor, qui, magnarum urbium fundamenta deſignaturi, primas lineas ducunt, Templo, arci, curiæ, plateis locum adſignantes.

Ergo

(h) Apocalypſ. Johannis 18, 4.

Ergo, niſi *magna* fuiſſent majoribus noſtris cauſſæ, ab inconſtantiæ crimine eos nunc non abſolveremus. Nec enim parentes, patriam, amicos deſerunt, leves quascunque ob cauſſas, niſi famæ ac opinionis ſuæ prodigi, quique nihil curant eorum, quæ de ſe homines ſentiant ac loquantur. Nec vel eo quod ſacræ paginæ dictum unum alterumve ſecus interpretarentur, ac poſt renatas literas intelligendum illud conſtabat, reſtituta peritia linguarum Ebrææ, Chaldææ ac Græcæ, reddita cognitione Translationum vetuſtisſimarum, aperto aditu ad mores gentium, quibus Divina oracula ceu cœleſte depoſitum initio commendabantur: vel, quod cæremonias ac Sacros ritus, quibus nullum ab antiquitate præſidium, adoptaverant Romanenſes: vel, quod turpiter viverent homines, & in his ipſi ſæpe Præſules Romani; nam etſi *cunctos*, *qui ſacri altaris ſuggeſtu eminent*, *tantum excellere oporteat merito*, *quantum gradu*, uti ait gravis auctor SALVIANUS MASSILIENSIS, (i) & Stoici judicarint, (k) *nullos pejus mereri de omnibus mortalibus*, *quam qui philoſophiam velut aliquod artificium vænale didicerint: qui aliter vivunt*, *quam vivendum eſſe præcipiunt.* Et ſi Stoici illud exigebant, quanto magis nos Chriſtianos in id incumbere oportet, abſolutisſimum omnis ſanctitatis exemplar CHRISTUM JESUM nactos, & edoctos, *ſine ſanctitate neminem viſurum DEUM.* (l) Interim novimus *vitia fore*, *donec homines:* &, ipſum Sapientem Romanum cenſere: *male res ex hominum vitio vituperari.* (m)

Ut ergo perpetuum altero ſtatim ſeculo a CHRISTO N. Schiſmatis ſemina jacta ſunt inter orientalem & occidentalem eccleſias, ob ſtatum Paſchalis feſti diem, ſiquidem in ea, quam pretioſe nobis redemit æternæ pacis Princeps, libertate, & *in quam vocati ſumus*, (n) ſtandum erat; &, ut omni noſtra laude major Lugdunenſis IRENAEUS judicat, *diſſonantia jejunii non debuit rumpere conſonantiam Fidei.* (o)

Ut perperam Donatus ſingulorum vitia toti eccleſiæ imputabat, & cœtum eligendum monuit labe ac macula carentem, ipſe cummaxime fœdus ac maculoſus, qui non niſi ſpecie pietatis veritatisque, cæca cupidine vindictæ, & eo quod ſpe potiundi epiſcopatus Carthaginenſis excideret, ingentis ſchiſmatis auctor exſtitit. Ut male hi ipſi eorumque ſimiles feciſſe cenſendi ſunt; ita majores noſtri magnis & gravibus de causſis ab eccleſia, non illa humanis oculis, quantumcunque aciem intenderitis, non videnda: non illa Una ac Catholica; ſed a Romanenſi ſeceſſionem fecere, vel, ſi curatius loqui velimus, illa a nobis; ſi quis enim unquam cætus jure merito

(i) Cont. Avarit. II, 68. Rittersh. (k) Seneca Epiſt. 108. (l) Ebr. 12, 14. (m) De Inventione I. No. 94. (n) Galat. 5, 1. (o) ap. Euſebium Hiſt. Eccleſ. V. XXIV.

Digitized by Google

merito de genuinis veræ eccleſiæ notis ac indiciis ſibi gratulari poteſt, noſter eſt, immortali DEI beneficio.

Proinde ſi ſubſtructio fulcrum & robur eſt ædificii: Si fundamento ſubruto domum conſiſtere poſſe æque fieri nequit, ac nosmet ſine pedibus ambulare, quis negabit Fundamentalium Articulorum doctrinæ Fidei everſionem, magnas a Romanenſi eccleſia ſecedendi cauſſas præbuiſſe?

Si unum dogma fundamentale, unum articulum, ſine quo non eſt ſua catenæ Fidei integritas, ſolviſſent, ab illis gravibus de cauſſis ſecedendum fuiſſet. Quis enim noſtrum ſanæ mentis in profundam ſpecum dimitti ac immergi vellet catena ferrea quidem, ac articulos ceteros omnes firma atque integra, unum tamen disrupta? Divus Apoſtolus Galatis (Cap. 1, 7.) ſcribens, a ſe recens ad Chriſtianiſmum converti cætus adverſarios velle *μεταστρέψαι τὸ ἐυαγγέλιον τοῦ χριστοῦ*, integram doctrinam de Chriſto evertere; & illi tamen non niſi circa unum errabant Articulum; ſed Romanenſes non unum fundamentalem, de illis enim nobis ſermo eſt, articulum deſtruxerunt, ſed longe plures. Idem ille, quem neglectum a Galatis ægerrime fert divus Paulus, videlicet de *Juſtificatione hominis peccatoris coram DEO*, quam miſere habitus a Romanenſibus? Juſtitiam, qua coram tribunali Divino a peccatis abſolvimur & juſti reputamur, hominum eſſe juſtitiam, nobisque inhærentem contendunt: cum tamen divina oracula ſolâ CHRISTI JESU juſtitia, per Fidem nobis imputata, id fieri confirment.

Fide operibus conjuncta nos ſalvari perſvadere nituntur, cum tamen gratis per redemtionem, quæ eſt in CHRISTO JESU, ſine operibus Legis, non niſi Fide, quæ CHRISTUM apprehendat, eoque nitatur ac confidat, nos ſalvos fore diſerte teſtatur Apoſtolus: & docturus nunquam factum fuiſſe, nec in Evangelico Fœdere fieri poſſe, ut alia ſit ulli mortalium ſalutis via ac ratio, quam hæc ipſa, ABRAHAMUM ſenem fidelem in exemplum proponat.

Hæc videbuntur nonnullis leves quæſtiunculæ, ceu olim PORCIO FESTO divi PAULI (p) pro veritate religionis Chriſtianæ apologetici Sermones; ſed has tantas hujus articuli corruptelas tot aliæ inſequutæ ſunt,

(p) Acta Apoſtolorum XXV, 19.

Digitized by Google

tot enormes errores, ut illo rupto & infracto, quod reliquum eſt ſeriei inane ferme ac inutile.

Articulus de Libertate Arbitrii Humani, quem inprimis Fundamentalem eſſe non inficiabuntur, quo habitus modo ab adverſariis? Conferant doctrinam ſuam, etiam ab hac parte, cum unica veri norma ac canone: Conferant, poſitis præjudiciis, & patebit

immane quantum diſcrepat

Articulus de S. Cœna, quem neque negabunt Fundamentalem eſſe, quandoquidem ſanctisſimas haſce dapes, ex parte DEI, media atque adminicula ſalutis noſtræ una nobiscum profitentur. Is itaque Articulus, qua religione ſervatus? CHRISTUS noſter pro benignitate ac indulgentia ſua non ſolum ſacroſanctum Panem ſed & Calicem benedictum porrexit & porrigendum teſtamento cavit: Romanenſes ſubtraxere ceu rem ceteris otioſam & ſoli ſervandam ordini Clericali: Immo non aliqui privato auſu, ſed auctoritas Concilii, quod magnum, quod univerſale exiſtimari volunt. Conſtantienſe me intelligere non ignoratis Auditores. Ita vero Patres Concilii Sesſione XIII. habita anno CIↃCDXV. die decima quinta menſis Junii. (q) *Licet CHRISTUS inſtituerit, & licet in primitiva eccleſia bujusmodi Sacramentum reciperetur a fidelibus ſub utrâque ſpecie; tamen poſtea a conficientibus ſub utrâque ſpecie, & a laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur.* An Hominis probi eſt teſtamenta immutare? An Hominis pii, irritas facere ipſius CHRISTI Tabulas Teſtamentarias?

Damna aures, pater alme, meas, & claude meatus
Obbruteſcentis capitis, ne pervia tales
Concipias flexura modos. (r)

Quid Miſſa ſua: quid Transſubſtantiatione: quid adoratione Panis Euchariſtici: quid aliis dogmatibus, novum, novum ac inauditum veræ Eccleſiæ obtruſerint, omitto dicere. Utinam, utinam, cogitarent, quas dabunt olim juſto Judici pœnas. Deſinant interea nos majoresque noſtros convitiis inſequi & agitare: Contumelioſo hæreticorum, Schiſmaticorumque nomine onerare.

Porro,

(q) Edit. Hardtianæ, Tomi IV. Par. IV. p. 334. (r) Prud. Hamarb. v. 650.

Digitized by Google

Porro, ut magnas ac graveis ita & juſtas habuere cauſſas ſecedendi. Si enim id juſtum quod ſecundum legem; ſola vero, ex quibus dogmatum Chriſtianorum veritatem agnoſcamus & dijudicemus, ſunt divinæ legis oracula, quid juſtius, quam diſſentire ab iis, qui ſuas Traditiones, quam diſciplinam Arcani, ſua inventa pro Oraculis nobis obtrudunt? Quid enim niſi Romanenſium inventum dixerimus, inauditum *de Infallibilitate Romani Pontificis dogma?* Unum nominaſſe contentus, cetera non addam. Nam ut in ſeminibus cauſſa eſt arborum ac ſtirpium, ſic omnis erroris ſemen in hoc dogmate:. Quod ſi falli ac fallere neſcius Papa Romanus, vim Divinæ Majeſtatis obſidet, illique morem non gerere, piaculum. Recedendum itaque fuit majoribus noſtris, & cum integerrimo Mediolanenſium antiſtite S. AMBROSIO dicendum: (s) *Si qua eſt eccleſia, quæ fidem reſpuat, nec Apoſtolicæ prædicationis fundamenta poſſideat, deſerenda eſt. Petra tua Chriſtus eſt.*

Sed dicunt Adverſarii, non neceſſariam fuiſſe a ſua eccleſia ſeceſſionem majorum noſtrorum. Si erraret, ſanandam non deſerendam. Verum enim vero ſunt eis intra manus *Faſciculi Rerum Expetendarum.* Sunt piorum *Teſtium Veritatis* querelæ de conditione ac ſtatu eccleſiæ ante tempora reſtitutæ Religionis. Quid vero monitis ſuis viri optimi profecere? Perſecutiones illis antiquæ eccleſiæ ſub Neronibus, Domitianis, ceteris, haud multo leviores, flammas, rogos, eqvuleos, carceres meruere. Neceſſaria itaque fuit ſeceſſio ab illa eccleſia, quæ Machaonias artes ipſa reſpuebat ac averſabatur. Amamus immo diligimus oculos, manus, pedes; ſed ſi caries oſſa, carnem gangræna obſederint, enſe amputamus ac circumcidimus, ſi illis vita nobis gratior.

Non exiſtimo, velle nunc Romanenſes mixturam facere religionum diverſarum, ita ut aliqua ſui parte eccleſiam eorum ſanatam credamus; ſed ſi id aliquando iterum tentarint, ſciant terrere nos veſtigia, & magni tam aliis quam nobis Sveonibus conſtitiſſe olim hanc unionem; & id illis dicere poſſe mihi videor, quod olim M. Antonio TULLIUS: *Aut undique religionem tolle, aut usquequaque conſerva.* (t) Itaque ſi neceſſe eſt id, ſine quo ſalvi liberique eſſe non poſſumus, *neceſſaria* fuit ab eccleſia Romanenſi ſeceſſio.

Sed reſpondendum duobus criminibus, quæ nobis adhuc objiciunt adverſarii. Gravis, dicunt, eſt diſſenſio eorum, qui a noſtris partibus receſ-

(s) In Lucam Lib. II. Cap. IX. (t) Philip. II. n. 110.

receſſere, nihil itaque ſolidi. Et diſſenſio, fatemur, eſt gravis. Sed num deſinit Eccleſia Chriſtiana una eſſe ac vera, eo quod plurimi diſſideant? Num jure irriſerunt Celſus, Eunapius, Lucianus, alii Chriſtianos in univerſum, eo quod non parum multæ inter eos diſſenſiones eſſent? Num concedendum profanæ Muhammedanorum multitudini, nihil inveniri in Chriſtiana Religione veri ac ſolidi, ſiquidem in tot ſectas abierint illius cultores? Quod ſi noſtros fovere disſidia, ſchiſmatibus occaſionem dare probaverint, ferendæ eſſent hæ irriſiones. Nunc, cum illachrymemur diſſentientium ſimplicitati, iraſcamur audaciæ ac pruritui:. eos moneamus, hortemur ut Divina Oracula ceu ſacram anchoram teneant; non eſt cur nobis diſcordiam objiciant.

Adhæc, ſi ſibi conſultum velint Romanenſes, Græcorum more in Eleuſiniis ſacris, tacitum ceu myſterium teneant hanc objectionem ſuam. Quis enim neſcit, quot modis ipſi diſſentiant? Num obſcura ſunt diuturna inter eos de religione disſidia? Quanto animorum motu diſputatum eſt de immaculata conceptione B. Virg. MARIÆ? Janſeniſtica cauſſa, quas non turbas dedit? Molinoſi & aſſeclarum placita quomodo agitata? Misſionariorum cultus pene divinus in Confucium Sinenſium philoſophum quomodo ab aliis exagitatus & condemnatus, ab aliis defenſus? Et ullus ne nunc in Europa, quà quà patet locus eſt, qui ignorat, Pontificis Romani Cenſuram in ſcripta CONRADI QUESNELI & quas turbas illa in Galliarum imperio dederit hiſce tribus luſtris, hodieque det. nondum enim exitum hujus dramatis vidimus. Ferme dixerim, non tantam nobiſcum, quantam ſecum eſſe Romanenſibus diſcordiam.

Deinde, quia mutationem ſacrorum inſeqvuti ſunt impetus populi, eos quoque nobis exprobrant. Hæc ſi M. TULLIO olim objecta fuiſſent, dixiſſet: (u) *Etſi omnes moleſtæ ſemper ſeditiones, juſtas tamen fuiſſe nonnullas & prope neceſſarias, ut cum Reges eſſent exacti, ut cum Tribunitia poteſtas eſſet conſtituta.* Sed non mutuabimur hæc oratoria artificia, nec negabimus fuiſſe ſeditiones ac motus populi. Sed num id majoribus noſtris in crimine eſt ponendum? Quis Regum, quis Imperatorum, unquam impetus populi præſtare potuit? num noſtrates docuerunt populum ſeditiones? num ex eorum doctrina non potuere non oriri? & ut omittam Ruſticorum in Germania famoſos impetus & reliqua, quæ in hiſtoria extera pervulgata. Nonne exſilio

(u) Orat. II. n. 124. & 199.

Digitized by Google

exſilio mulctati ſunt à pietatis ac ſapientiæ ſingularis Rege GUSTAVO fanatici ſpiritus homines Bernhardus Ring & Melchior Knipperdollingh, cum ſpecie odii in religionem Romanenſium, furibundi Stockholmiæ omnia commiſcuerant, & in imagines quoque, quibus templa ornabantur, ſævire cœperant.

Non exiſtimo adverſarios cauſſam agere velle CHRISTIERNI Regis, & ortos motus, eo juſte remoto a gubernaculis imperii Svethici, in doctrinæ Evangelicæ contumeliam convertere; nam ſi annalium memoriam evolvamus, vix triennio poſt de mutatione Religionis cogitatum eſt.

Turbata eſt Dalekarlia, modo ſeditione Petri Sunnenveder, Epiſcopi Aroſienſis: modo effreni audacia fugitivi illius Johannis, qui ex fece plebis in illuſtris viri NICOLAI STVRE nomen invaſerat.

Turbata eſt occidentalis Gothia motibus Nicolai Olavidæ & Thuronis Ericidæ. Sed horum perduellium crimina quis ſanus doctrinæ Evangelicæ imputabit? Quaſſata eſt Smolandia ſeditioſis armis Nicolai Dake. Num culpa reſtitutæ Religionis? Atque ut iterum utar exemplis antiquæ memoriæ: num in capita ſanctorum virorum PAULI & BARNABAE Iconii ſalutarem doctrinam CHRISTI prædicantium, (x) continuo ſubortæ ſeditionis culpam ac crimen jure quis conjecerit?

Reliquum eſt ut jam Tibi Æternum ac immortale Numen etiam pro his roſtris cernui agamus gratias quod GUSTAVOS Svethiæ dederis, libertatis vindices, defenſores religionis.

Tuum eſt illud beneficium, Tuum eſt. Cum opprimeretur Svethia tyrannide Chriſtierni; cum ſpectaculo non modo hominibus, ſed tectis quoque ac parietibus luctuoſo, urbs Regia 94 præſtantisſimorum virorum necem intra biduum vidiſſet; patria undique repleta eſſet cæde innocentium civium, quos vel adverſari, vel, cum adoleſcerent, adverſaturos fore ſuſpicabatur tyrannus: GUSTAVUM nullis exterorum ſubſidiis, parco commeatu, nullius munitæ arcis præſidio inſtructum, ſolâ Tui fiducia excitatum avertiſſe furorem, id Tuo Numini debemus.

(x) Act. Apoſt. Cap. XIV.

Reſtitutam eſſe Religionem, diſſipatas tenebras, quibus animi civium urgebantur, ſublatum Pontificis Romani in ipſos Reges Principesque imperium, unde toties tot malis vexata patria, id Tibi uni acceptum referimus immortale Numen.

Tranſeunte in clientelam Pontificis CHRISTINA Regina, ea conſtantia animi fuiſſe cives, ut vix duobus ejusdem propoſiti ſociata Romam ingreſſa ſit, Tuo factum eſt beneficio.

Tu nos beaſti CAROLIS & ULRICA ELEONORA, Regina omnis ætatis omnisque memoriæ laudatisſima.

FRIDERICUM Regem Tuo beneficio habemus. Serva unctum Tuum: indue ei magni proavi PHILIPPI MAGNANIMI in defendenda Religione vera conſtantem ac imperterritum animum: redde, quam civium commodo exoptat pacem.

Denique, ſi qua futura eſt poſteritas, & ſeri nepotes Tertium viſuri ſunt Seculare Feſtum, jube ſalvum, jube florentem eſſe ſtatum patriæ, & perpetuis Tuis beneficiis ornatam Svethiam ipſa æternitas intueatur.

D I X I.

D. GEOR-

Digitized by Google

D. GEORGII FRIDERICI NIEHENCKII
ORATIO SECVLARIS,
DE
PIO ET JVSTO RELIGIONIS ZELO SVECORVM.

Digitized by Google

PRÆMISS. TIT.

P*ſallite, cantate, jubilate!* Hoc eſt A.O.O.H. quod vox Jubilæi acclamat nobis. Quale vero reſponſum dabimus? Exclamemus voce ſonora: *Pſallimus, cantamus, jubilamus.* Pſallendi, cantandi, jubilandi cauſa meminem Noſtrum latet. Illuxit enim dies, feſta & felix dies, dies lætitiæ, quæ nobis in memoriam revocat beneficium divinum, quo veritas cœleſtis, quæ plus quam diu in tenebris papalibus latitaverat, in lucem protracta eſt publicam, cujus illuſtre & omni exceptione majus teſtimonium eſt κειμήλιον Eccleſiæ noſtræ pretioſiſſimum *Auguſtana ſc. Confesſio invariata Carolo V. Imperatori* inviꝺiſſimo & glorioſiſſimo Anno 1530. die 25. Junii *Auguſtæ Vindelicorum* exhibita, & in hunc usque diem per Dei gratiam adverſus illos, qui è manibus noſtris illam eripere omnibus tentarunt viribus, ſarta, tecta & illibata cuſtodita atque conſervata. Cognoſcitis ergo, me etiam non monente, vel ex hoc lætitiæ noſtræ cauſam piam juſtamque. Noſtrum erit illam ulterius uberiusque, quantum in noſtris poſitum eſt viribus, declarare. Et hanc ob cauſam ex voluntate *Reverendisſimi Domini Epiſcopi* benevolâ, cui refragari nefas duxi, hanc conſcendi cathedram: Materia autem ad dicendum, quam lætitiæ publicæ dicare mecum conſtitui, implorata Numinis divini gratia, adverſariis noſtris quidem odioſa videbitur, genti tamen Sueticæ, cui me multum debere profiteor, glorioſa erit. Dicam *de pio & juſto religionis zelo Suecorum.* Concedite autem, quod humillime & officioſiſſime rogo, Oratori balbutienti aures benevolas facilesque.

Alhaljah, Regina Jehudæ, Joaſcho Rege à Jehajada Pontifice uncto, & populi univerſi conſenſu ſolenniter introducto, veſtes ſuas præ ingenti animi conſternatione rupit, clamavitque: *Conjuratio, conjuratio.* (a) Eadem vox A.O.O.H. in ore illorum, quibus Doctorum Eccleſiæ pius & ſanctus zelus ſudes eſt in oculis, hodienum frequentiſſima eſt. Teſtes ſunt vitiorum nomina, quibus zelum ſanctiſſimum & Zelotas divinitus excitatos con-

(a) 2. Reg. XI. 14.

contaminare ſolent, & quæ tantum non utramque apud ipſos paginam faciunt. Pudet adferre illa, quæ è *Calvinianorum* præcipue antiquorum, è *Schwencfeldianorum*, *novellorumque Prophetarum*, è *Dippelii*, *Arnoldi*, *Zieroldi* aliorumque ſcriptis facili poſſent colligi negotio. Hoc tantum dicere jubet pietas, (& certe non ſine animi dolore dico) prodigioſa horum in noſtros convitia internecini, capitalis atque irreconciliabilis odii indicia eſſe luculentiſſima. Sed accedamus propius ad rem. Momenta aliquot generalia ſpecialibus præmittenda eſſe, non ſine cauſa cenſeo. *Zeli* nomen Græciæ natales ſuos debere ſatis abundeque conſtat. *Zelum* ut affectum naturalem conſiderari poſſe, docent Moraliſtæ. *Zelum* pro virtute mere morali quandoque accipi, eruditis ignotum eſſe nequit. Nobis vero *zelus* dicitur *virtus ſpiritualis*. Non omnis *zelus* DEO placens eſt; ille enim qui eſt, & exercetur ſecundum ignorantiam, malus, cœcus & intempeſtivus eſt, nec honorifico hoc titulo dignus, quid? cœcus potius impetus & furor appellandus eſt. *Zelus* contrà, ſecundum ſcientiam exercitus, non poteſt non eſſe bonus, pius, ſanctus, divinus. Et ita hoc loco, ut vel ſub initium orationis noſtræ adverſariorum telis occurramus, nobis attenditur. Hunc *zelum* in homine regenito excitat Spiritus S., qui ipſemet *zelotes* eſt. (b) Hunc *zelum* mandat Spiritus S. (c) Divinæ igitur originis eſt, non rationi carnali, vel æſtui juvenili, vel ambitioni, vel vindictæ cupiditati adſcribendus. Paucis: *zelus* Dei vocatur. (d) *Zelum* hunc Spiritus S. ordinarie operatur mediante verbo (heroicum & extraordinarium hac vice non attendimus) per quod intellectus hominis illuminatur, ad adſenſum flectitur, & fiducia in voluntate accenditur. Ecquis vero eſt, cui *zeli* hujus exercitium competit? Et reſpondemus verbis CONFESSORUM PIORUM: *Profecto Theologis*, inquiunt, *omnibusque Eccleſiæ miniſtris hoc negotii incumbit*, *ut ex verbo Dei etiam eos*, *qui ex quadam vel ſimplicitate*, *vel inſcitia à veritate aberrarunt*, *de periculis ſalutis ſuæ*, *eâ*, *quâ decet*, *moderatione doceant*, *& contra corruptelas muniant.* (e) Eleganter certe & vere dicta! Habent enim præeuntes *Prophetas*, *Apoſtolos*, *Patres Eccleſiæ*, quorum nomina, ne terminos orationis excedamus, ſilentii peplo involvimus. Vel unicum *Chriſtum* qui ſuo exemplo illis præluxit, (f) nominaſſe ſufficit. Neque tamen ab hoc exercitio prorſus excludendi ſunt quivis Chriſtiani, ſed illi potius obligantur ad hoc vi præcepti IIdi Decalogi. Quilibet enim fidem declarare, ſalutarem doctrinam tueri, gloriamque DEI promovere tenetur, modo id fiat hac ratione, ut cuilibet Eccleſiæ ſtatui relinquatur, quod ſuum eſt, ſartum tectumque.

(b) Nah. I, 2. Joh. XVI, 8. (c) Jeſ. LVIII, 1. 2. Tim. IV, 2. (d) 2. Cor. XI, 2.
(e) in Præf. Lib. Conc. §. magna etiam ſpe. (f) Joh. II, 17.

Et ſigillatim *zelum* religionis decere Principes & Magiſtratum Politicum, indubium eſt. *Moſis*, *Joſuæ*, *Davidis*, *Joſaphati*, *Ezechiæ*, *Joſiæ*, aliorumque exempla ſuppeditant divina oracula. Qui hiſtoriam eccleſiaſticam legerunt, de *Conſtantini* M., *Theodoſii* M., aliorumque pio *zelo* judicium ferre poterunt. (g) *Caroli* V. zelum commendant Theologi Saxonici. (h) *Auguſtum*, Electorem Saxoniæ, in numerum Zelotarum refert immortalis memoriæ Theologus B. D. *Leonh. Hutterus.* (i) *Erneſti* pii, Ducis Saxoniæ, cura religionis nunquam ſatis laudata eſt. (k) De *Guſtavi Adolphi*, Ducis Mecklenburgici, *zelo* principalia proſtant documenta. (Ipſius curâ B. Soceri mei D. Mich. Siricii oſtenſio fundamentalis abom. Pap. &c. in publicam lucem prodiit. Et alia adhuc ſcripta B. Theologi, juſſu Seren. Principis exarata, in ſcriniis meis latent & exſpectant liberationem.) Addi poſſent alia exempla, ſed illa relinquere aliorum ſtudio placet.

Ad *medium*, quo pius ac juſtus zelotes utitur, deveniendum eſt. Qui in Pontificiorum caſtris militant, arma carnalia in ſubſidium vocare ſolent, hinc errantes in doctrina, capitali ſupplicio afficiendos eſſe docent. Atque hanc doctrinam erroneam ipſa praxi plus ſimplici vice confirmarunt. Proceſſus inquiſitionis Hiſpanicæ o quam violentus eſt! Laniena Pariſienſis, qua multi miſere perierunt, ut hiſtoricorum monumenta docent, certiſſimum furoris Papiſtici indicium eſt. Per ferrum & flammas religionem propagare audent hi ſanguinarii homines. Ita & tempore B. Lutheri furebat *Thom. Munzerus*, quod in vulgus notiſſimum eſt. Arma noſtra ſpiritualia ſunt. Verbo ceu gladio ſpirituali errantes ſunt convincendi. Sunt coërcendi. (l) Sunt cavendi. (m) Sunt fugiendi. (n) Sunt excommunicandi, ni reſipiſcant. (o) Hæc eſt doctrina purioris eccleſiæ. Hanc inculcamus, hanc tuemur. Addo, pace veſtra, aliquot teſtimonia humana. *Diogenes Cynicus*, quamvis Ethnicus, ad Græcos, qui male ſentientes maluerant occidere, quam corrigere: *πότερον ἐπιχειρητέον*, dicebat, *ὦ κακαὶ κεφαλαὶ, παιδεῦσαι τούτους ἢ ἀποκτεῖναι;* *Utrum præ manibus ſumendum erat, o devota capita corrigere hos, an interficere?* Et *Hipponenſis Præſul* ingenioſiſſimus ad Manichæum, quamvis teterrimum hæreticum, ait, *ſe de ejus correctione magis, quam de ſubverſione cogitare.* Hunc morem utique imitari licet, quid? oportet.

Verſa-

(g) *Conf. Theol Sax.* in der Haupt-Vertheidigung des Aug-Apfels, *cujus operis auctor dicitur B. D. Matth. Hoe ab Hoeneg*, Cap. VI. (h) *Cit. loc.* (i) *Explic. Lib. Conc. Proleg.* p. 16. (k) *Vid. Celeb. Dn. D. Val. Erneſti Löſcheri Diſp. de Pædagogia Magiſtr. religioſa an.* 1708. *Witteb. hab. Arnoldus Principem hunc non laudat. Cur non? vid. B. Wernsdorfii progr.* (l) Tit. I, 9. 11. 13. (m) Matth. VII, 15. (n) 2. Joh. verſ. 10. (o) Matth. XVIII, 17. Gal. I, 8. 9. V, 12. 1. Cor. V, 5. 1. Timoth. I, 20.

Verſatur autem *zelus* Theologicus circa res magni momenti. Quid pretioſius eſt *cœleſti doctrinâ*? Hæc profecto theſaurus eſt pretioſisſimus. Theſauros, quos colligunt homines, ſolemus defendere, ne amittantur, vel auferantur. Et multi in hoc modum excedentes jacturam proh! faciunt theſauri cœleſtis. Quo major ergo theſaurus hic noſter eſt, quem clementia divina nobis gratioſisſime conceſsit, eo majori cura conſervari debet. Non enim detrimentum, ſi recte illo utamur, ſed commodum ſalutemque ſpiritualem & æternam animabus noſtris adfert. Hic ergo theſaurus maſcule defendendus eſt, ne ſurripiatur nobis ab illis, qui errores introducere & diſſeminare ſtudent. Audiamus *Paulum* veritatem divinam adverſus *Judæos*, *Gentiles*, *Pſeudo-Apoſtolos*, *Hymenæum*, & *Philetum*, quorum errores recenſet Spiritus S. ſummo ardore defendentem, & ſequamur illum, quantum in nobis eſt ex gratia Dei. Virtutum & vitiorum ratio quoque habenda eſt, ut illæ, ad ipſius exemplum, ſtudioſe à nobis commendentur, hæc vero animoſe eradicentur. Ad doctrinam pertinent *formulæ caute loquendi*. *Zelus* igitur circa illas etiam occupatus eſt. Sunt, qui in fingendis novis phraſibus gloriam quærunt, & in faciem contradicunt *Paulo*. (p) Sunt qui controverſias magni momenti ad λογομαχίας referunt, & eo ipſo errores incruſtant, quod *Pfaffio* Tubingenſi, & *Pachomio* Altorfino, novo logomachiarum fictori, hac vice dictum ſit. Novas phraſes nova dogmata gignere, dudum obſervarunt Theologi cordati. *Zelus* vero pius, ut doctrinæ veræ, ita & hypotypoſi ſanorum verborum ſtrictisſime inhæret. Sunt, qui Philoſophicis ſubtilitatibus ita delectantur, ut veritati Theologicæ vim inferant. *Zelus* theologicus philoſophiam ancillantem, non tamen dominantem admittit. Sed quid dicendum eſt de *ritibus & ceremoniis*? Sunt res ſua natura indifferentes; in ſtatu tamen confesſionis, quando illorum omisſio, aut abrogatio urgetur ab adverſariis, *zelus* urget illorum defenſionem. Et quod olim *Irenæus* (q) recte monuit: *Ob diſſonantiam jejunii* (quadrageſimalis nimirum) *non tolli oportere conſonantiam fidei.* Illud *zelus* pius & ſanctus circa ritus & ceremonias obſervat.

Sed tranſeamus tandem ad *modum exercendi zelum.* Tepidi Theologi, quos exſpuere ſe velle minatur Dominus (r) *lenitatem*, *moderationem* & *modeſtiam* in ore ſemper habent, & de *zelo* ne quidem verbulum faciunt. *Pax*, *Pax*, clamant, ſed cum jactura veritatis. Quæ Spiritus S. conjunxit, frivole ſeparant. Intempeſtivi Pacificatores! *Zelus* quidem impetum quendam & ſtudium extremum infert, at hoc lenitati moderationi & modeſtiæ non obſtat. Severitas *zelum* oſtendit pro cœleſti veritate; *lenitas moderatio*

(p) 1. Cor. I, 10. 2. Tim. I, 13. (q) *ap. Euſebium* Lib. V. Cap. 24. (r) Apoc. III, 15. 16.

tio & *modeſtia*, ut ſalutem & converſionem errantis intendit, ita etiam affectibus & verbis quaſi limites ponit. *Licet enim profecto*, ſunt verba *Magni Calovii*, *acrius cum manſuetudine carpere*, *quam cum audacia & feritate confundere.* Perſonis parcimus, errores vero & vitia non excuſamus, non extenuamus, non defendimus, ſed, ut ſunt, ſuis nominibus indicamus notamus & refellimus fortiter, modeſte & prudenter in Dei gloriam Eccleſiæ ſalutem & rei publicæ commodum. Latius hæc, ut intelligitis, deduci poſſent, ſed non licet abuti veſtra patientia, nec vacat jam ulterius progredi.

Ad ſpecialia itaque pergendum eſt. Ex quo tempore purior Evangelii doctrina patriæ noſtræ dulcisſimæ reddita eſt, tam *Regum* quam *Doctorum* hæc præcipua cura fuit, ut eam illibatam conſervarent poſteriſque traderent. Memorabilis certe religionis *zelus* erat Regis glorioſisſimi & fidei herois incomparabilis GUSTAVI Imi. Hic Sueciam non tantum à tyrannide Chriſtierni, ſed etiam à ſpisſis tenebris papalibus, clam palamve reſiſtentibus ſacrificulis, liberavit felicisſime. Nolebat regnum tanta omnium impietate, miſerabilique ſuperſtitione fœdum atque inquinatum, malebatque Numini ſervire ſine regno, & alii dignitatem regiam relinquere, quod in ſolenni concione coram omnibus maxime laudabili *zelo* profitebatur. (s) *Librum Interim* appellatum, qui in Sueciam translatus erat, examinandum tradebat ſummis in Sueciâ theologis, regioque mandato, ad Dominos Epiſcopos, directo ſanciebat, nulli mutationi in religionis negotio occaſionem dandam eſſe: (t) Perſiſtebatque in hoc pio zelo usque ad ultimum vitæ halitum, quod teſtamentum Regis religioſum omnium clariſſime teſtatum fecit. Memorabilia cum primis verba ſanctiſſimum ſpirantia zelum audiamus: *Singuli*, inquit, *ac univerſi curam verbi DEI ſedulo gerant*, *Eccleſiam Chriſti promoveant*, *ab omni hæreſi falſaque doctrina abſtineant*, *ſuosque hæredes in vera DEI cognitione*, *recteque illuſtrata Evangelica religione fideliter educent.* *Si falſi Doctores advenerint & in reformata religione quid velint* (*quod abſit*) *immutatum*, *cavebunt ſedulo noſtri hæredes*, *præſertim ipſe Rex*, *apud quem ſumma poteſtas reſidet*, *ne locus detur in totâ Patria hæreticæ pravitati*; *Si velit Regnum habere pacatum*, *omnesque poſſint felici ſucceſſu ac divina benedictione frui ac æternum ſalvari.* (u) Quis hunc Zelum ſatis prædicare poteſt? Profiteamur, neceſſe eſt, nec Tullianam heic ſufficere Eloquentiam.

Ad

(s) Vid. *Schefferus in memor. Suetica Gentis*, Cap. I, §. IV. p. 4. 5. (t) Vid. B. D. *Conrad. Tiburtii Rangonis Svecia Orthodoxa*, Cap. IV. Part. I. p. 13. (u) Vid. B. *Baazius in Invent.* Lib. II. Cap. XXXII. p. 280. ſqq. B. *Laurentius Paulinus in Hiſtoria Arct. orbis.*

Digitized by Google

Ad Filium ipſius Primogenitum & Succeſſorem ERICUM XIV. convertit ſe noſtra oratio. Hiſtoria Patriæ docet nos, Regem hunc à *Dionyſio Beurreo* & *Georgio Petri* in Calvinianorum partes pertractum fuiſſe, (x) adeoque Zelum Patris Beatisſimi Sanctisſimum, cujus tamen veſtigia laudabilia ſequi tenebatur, neglexiſſe. Memoriæ tamen etiam proditum eſt, eundem Regem A. 1565. die 14. Aprilis dogmatum erroneorum divulgationem ſevere prohibuiſſe, & d. 4. Decembr. ejusdem anni ſatis prudenter ſtatuiſſe, illos, qui falſas opiniones verbo DEI contrarias divulgarent, initio ſevere admonendos, poſt carcere & denique exilio mulctandos eſſe.

JOHANNES III. Guſtavi Filius ſecundo genitus, & Fratris ſucceſſor ſub initium Regiminis ſui Zelum pro Religione verâ in gaudium Eccleſiæ maximum faciebat notum, cujus documentum erant Agenda ſive Ordinatio Eccleſiaſtica A. 1572. typis impreſſa. At vero poſtmodum procul dubio in gratiam Conjugis *Catharinæ*, Jagelloniæ Romano-Catholicæ Religioni addictæ (quæ tamen in articulo mortis, fraudem Pontificiorum animadvertens, ad ſolum Chriſti meritum confugiebat) novam *Liturgiam* Eccleſiæ Evangelicæ obtrudebat, eamque auctoritate ſuâ, quâ pollebat, Regiâ ita defendebat, ut aliquot fidei Confeſſores Conſtantes per regium mandatum in exilium ire juberentur. Morti tamen vicinus (arrigant aures Adverſarii noſtri!) admonitionibus Theologorum Wexionenſium & precibus Reginæ *Gunildæ Axelii Bielkiæ*, (*Gubernatoris Oſtrogothiæ filiæ*) quam A. 1585. in matrimonium receperat, (Aroſiæ d. 21. Febr.) veritate convictus, locum dabat, & Theologis noſtris, qui in certamine liturgico forti ſteterant animo, libertatem conſcientiæ, quam prætenderant, gratioſisſime relinquebat.

Filius ipſius SIGISMUNDUS Poloniæ, & defuncto Patre, Sveciæ quoque Rex Libertatem Religionis Lutheranæ in Svecia quidem confirmabat, ſed ipſe in Religione Pontificia permanebat, atque hanc non quidem armata manu, ut calumniatur *Matthæus Prætorius*, machinationibus tamen clandeſtinis, quarum Autores omnino *Jeſuitæ* erant, in Sveciam introducere tentabat, ſed regnum, quod cum gloriâ gentis ſuæ poſſidere poterat, amittebat. (y)

Accedamus ergo mente venerabunda ad magni Parentis Filium natu minimum CAROLUM IX. ejusque Religionis Zelum, ut fas æquumque eſt, admiremur. Hic eo tempore Princeps Regni Sveciæ hæreditarius, Dux Sudermanniæ, Nericiæ & Wermlandiæ A. 1593. in Concilio Upſalenſi omnes Regni Ordines ad *A. C. invariatam*, interpoſito ſacri juramenti fœdere, ita devinxit, ut poſtea non tantum ſubditis, ſed & ſucceſſuris Regibus in ater-

(x) Vid. *Baazius* c. l. Lib. III. Cap. III. p. 290, ſqq. (y) A. 1600.

æternum nefas factum ſit ab illa facere digreſſum. (z) Evectus in Thronum regium, præcipuam Religionis purioris curam habendam eſſe, ſapienter judicabat, & varias tentationes in detrimentum Religionis tendentes non minus fortiter, quam feliciter ſuperabat. *Johannes Forbeſius*, Calvinianus Syncretiſta, Religionis noſtræ cum Calviniana unionem tentabat, ſed irrito conatu. Aliquot fidei articulos, qui Unionis fundamentum eſſent, offerebat, illorumque defenſionem, cum ad mandatum Regis in Academia Upſalienſi (a) publicæ diſquiſitioni ſubmitterentur, in ſe ſuſcipiebat, ſed illa admodum infirma erat. Theologi enim noſtri, Zelo divino flagrantes, errores feliciter detegebant. Et quamvis anno ſequenti in Regnum revocatus illos emendatos & magis auctos proponeret, non tamen, quod ſperabat, obtinere poterat. Veritas enim divina, quæ à noſtra parte erat, nullis cedit machinationibus ſyncretiſticis, admittit tenebras nullas. Plura, fateor, heic adferri poſſent, ſed cancellis Orationis includi nequeunt.

Quid vero dicam de Zelo GUSTAVI ADOLPHI? Non repetam, quæ aliorum jam proſeqvuta eſt induſtria. Quod de illo hâc vice dicere habeo, vel tribus exprimi poteſt verbis: *Religionis & Libertatis Vindex* fuit. Religionem in Patriâ noſtrâ ſtabilitam, cui in Germania vim inferebant Papales, fortiter defendit Rex magnus. Cum Vitembergæ ſalutaret clementiſſime Lutheri Filios, belli cauſſam in Religionis negotio eſſe, indicavit, teſte D. *Jacobo Fabricio.* (b) Auream Libertatem Germanis eripiendam, quid? fere ereptam feliciſſime reſtituit. Ut paucis dicam multa: Sanguine ſuo regio ſtabilivit veritatem Lutheranam.

Quid de Te referam, CHRISTINA Regina, *Guſtavi Adolphi* unica Filia? Gloria deliciumque Sveciæ noſtræ eras, & non ſine cauſſâ. Svecia noſtra non poterat non de Te ſpem concipere optimam. Quidquid enim ad Religionis noſtræ conſervationem facere videbatur, promovebas Zelo certe maxime laudabili. Sub tuis auſpiciis manuale Lapponicum prodiit (c) *Joh. Duræi* & *Johannis Crocii* conſilia Henotica nihil apud Te valebant. Formula Concordiæ ſtricte ſic dicta in Comitiis Holmenſibus (d) Te adprobante, recipiebatur. Cur vero veſtigia Patris conſtantiſſimi glorioſa deſeruiſti? Liceat ita quærere. Cauſſam forte habuiſti, quæ inter arcana referenda eſt, adeoque meum non erit illam inveſtigare. Inconſtantiam Tuam deploro, quam Tibi Epiſcopus Strengnenſis, qui tuis ſtudiis per decennium profuit, alias ipſemet inconſtans, D. *Joh. Matthiæ*, cum Romæ vive-

(z) Vid. B. *Baazii Invent. Sveo-Goth.* Lib. VIII. Cap. XII. XIII. (a) A. 1608. d. 17. Nov. (b) *in Perſon. G. A. conc. fun. ſubj.* (c) A. 1648. *Holmiæ Autore Joh. J. Tornæo, Bothn.* (d) A. 1647.

viveres, cordate exprobravit. (e) O Regina! extollat virtutes Tuas Papa Romanus in Cœlum usque, referatque Te inter Sanctas, Svecia noſtra non ſine dolore ſummo recolit memoriam Majeſtatis Tuæ.

Vocat me ordinis ratio ad CAROLUM GUSTAVUM, Chriſtinæ Succeſſorem, cujus facta vere regia graphice depinxit illuſtris *Puſendorſius*. Quod ad noſtrum ſcopum ſpectat, ipſius Zelus Religionis eſt. Qvum Chriſtina regendi onus depoſuerat & in humeros CAROLI GUSTAVI transtulerat, ordinibus Regni ſcriptam dedit Cautionem de vera Religione, in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis expreſſa, in A. C. per Articulos breviter declarata, tuenda, nec ullo alienæ Religionis ad quodcunque munus admittendo, nec ulla Licentiâ contra iſtæc cuiquam permittenda. (f) Apud Protectorem Angliæ *Olivarium Cromwellium* (g) pro Evangelico-Lutheranis in Bohemiâ, Moraviâ & Sileſiâ propter Religionem Papalium perſecutionibus excruciatis interceſſionem ſuam interpoſuit, ut illorum ſuccurreret calamitati. Factum tanto Rege dignum! Et hoc eodem anno confirmavit Edicto publico Rex glorioſiſſimæ memoriæ. Illo enim Sectæ *Pontificiorum*, *Anabaptiſtarum*, *Photinianorum*, *Calvinianorum* & aliæ, quocunque tandem nomine inſigniantur, ex hoc regno & omnibus ei adjectis provinciis penitus exulare jubentur juxta vetus Decretum nationalis noſtri Concilii Upſalienſis A. 1593. celebrati.

Veſtigia Parentis magni feliciter preſſit unicus Filius CAROLUS XI. Commendaverat Epiſcopus Strengnen[illegible] D. *Joh. Matthiæ* (h) verbis admodum ſpecioſis Patri Caroli noſtri, inte[illegible]ma viventi, Syncretiſmum Religionis, eundemque in peculiari bello (i) ulterius propugnaverat; En; CAROLUS noſter pro ſingulari Religionis atque Eccleſiæ cura per Celſiſſimos Regni Adminiſtratores novum quoddam Edictum promulgat (k) in quo non tantum priora de ſimili negotio confirmantur, ſed & præterea expreſſa additur damnatio Conſiliorum, librorumque, quibus diverſarum Sectarum tolerantia, aut arctior aliquis conſenſus ſvadentur. Et cum D. *Matthiæ* cauſſam ſuam malam defendere pergeret, CAROLUS noſter novo Edicto illi obicem poſuit (l) quo Epiſcopus, henoticis Conſiliis circumventus, in meliorem adducebatur opinionem. CAROLUS noſter D. *Joh. Elai Terſeri*, Epiſcopi Aboenſis, novitates in Explicatione catechiſmi, quam in vernaculâ linguâ ſine præviâ cenſurâ ediderat, occurrentes, & à Theologis noſtris, quibus illa examinanda tradita erat, indicatas & improbatas, ne

(e) in Lit. A. 1655. d. 7. Decembr. Stregn. dat. (f) Vid. B. *Loccenius in Hiſt. Svec.* Lib. IX. p. 755. (g) A. 1655. d. 23. Junii. (h) Lit. A. 1656. d. 7. Mart. ſcript. (i) Sub Tit. Ramus olivæ ſept. (k) A. 1662. (l) A. 1663. 14. Aug.

ne doctrina ſana detrimentum caperet & Adverſarii noſtri illis, ad palliandos vel incruſtandos errores ſuos, uti poſſent, abolendas eſſe judicavit (m) CAROLUS noſter Miniſtris verbi in Pomeraniâ ad fulmen Gubernatoris, prohibentis adverſariorum Elenchum, (n) perterritis, & querelam ad Archi-Epiſcopum noſtrum regnique Conſiſtorium referentibus, favebat, aderatque juſto Zelo; Edictum enim Regiminis Pomerani, miniſtrorum Eccleſiæ officio Elenctico oppoſitum, Edicto regio reſcindebat. (o) Quem Zelum, quam gratiam, quam Clementiam in hunc usque diem laudibus extollunt humillimis Pomerani, Veritati antiquæ addicti, & à Syncretiſmo fœdisſimo alieni. CAROLUS noſter Academiam Carolinam monumentum nominis ſui glorioſi, fundavit. (p) CAROLUS noſter (q) Archi-Epiſcopo, Epiſcopis, aliisque Theologis ordinationis Eccleſiaſticæ reviſionem & emendationem injungebat. Qui etiam hoc labore, adjuvante divinâ gratiâ, eo, quo fas erat, ſtudio fungebantur, ut tandem ſub auſpiciis CAROLI in lucem prodiret. (r) Ipſa præfatio nil niſi CAROLI Zelum ſpirat. De CAROLI Zelo teſtatur Caput primum, Religionis purioris veritatem ſolidisſime adſtruens, quod omnibus Hæreticis, & Novatoribus, qui illorum cauſſam agere ſolent, intrepide opponimus. Nondum memoriâ excidit Noſtris *Jubilæum* in felicem memoriam Concilii Upſalienſis, cujus decretum perſecutioni Liturgicæ finem attulit celebratum. (s) Hoc CAROLI Zelo debemus.

Verum enim vero cum ad Te venio flexis genibus, CAROLE XII. ubi loqui incipiam, & ubi deſinam, quod fateri non pudet, ignoro. Statim ſub initium Regiminis tui armatâ manu hoſtibus tuis, â Te nunquam læſis, obviam ire debebas, Tuis tamen, invictisſime Heros, qui Bella Domini gerebant, ſemper adfuiſti, quod nobis in recenti adhuc eſt memoriâ. Pro tuo Religionis Zelo loquitur Saxonia, loquitur Sileſia, loquitur Pomerania, quid? Loquitur univerſa Eccleſia Lutherana. Nec fata adverſa, Rex glorioſisſime, gloria Seculi, gloriam tuam in Secula prædicandam obſcurare poterunt. Obmuteſco.

Loqui tamen de Zelo ULRICÆ ELEONORÆ, Reginæ noſtræ clementisſimæ, jubet religio. Documenta enim Pietatis illius varia pro Religionis noſtræ ſalute in publicum proſtant. Legem Sveciæ noſtræ fundamentalem, qua ſancitum eſt, præter Evangelicam Religionem, quæ in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis fundata, Confesſione Auguſtanâ invariata comprehehenſa, & in Libro Concordiæ explicata eſt, nullam aliam admit-

(m) ibidem. (n) A. 1663. 19. Nov. (o) A. 1664. 15. Aug. (p) A. 1668. (q) A. 1685. (r) A. 1687. (s) A. 1693.

Digitized by Google

admittendam, aut recipiendam eſſe, Exemplo Majorum ſuorum laudabili confirmabat, cum Regiminis curam onusque, ita diſponente ſummo rerum arbitro, in ſe ſuſciperet (t) *Pontificios*, *Calvinianos*, *Photinianos*, *Anabaptiſtas*, *Atheos* aliosque ab omnibus officiis tam Civilibus, quam Eccleſiaſticis, tam Academicis, quam Scholaſticis penitus excludebat. (u) En pium Zelum! Theologis in Suecia Summis honores Doctorales per Reverendiſſimum Archi-Epiſcopum, Theologum ſine pari, conferebat clementiſſime. En pium adverſus Oſores graduum Academicorum Zelum regium!

Et hic *Zelus* inter ornamenta Regis noſtri Clementisſimi *Friderici* I, nomine & omine pacifici, ſplendidisſima non infimum occupat locum. Antequam enim ad voluntatem Conjugis Regiæ ſuffragio ordinum Rex Sveciæ eligeretur, Religionem Evangelicam, quam *Philippus* I. *Magnanimus*, Landgravius Haſſorum, qui ſubſcripſit Auguſtanæ Confesſioni, ſuam fecerat, & cum Electore Saxoniæ *Joh. Friderico* I, itidem *Magnanimo*, ſtrenue defenderat, ulnis amplectitur ambabus, adplaudentibus omnibus Sveciæ Ordinibus. (x) *Pontificiis*, *Calvinianis*, ſ. *Reformatis*, *Anabaptiſtis*, *Photinianis*, & *Atheiſmi* veneno infectis omnem ſpem ad officia in Regno Sveciæ publica obeunda adimit. (y) Statutis in publicum editis, Religionis negotium concernentibus, manu ſua ſubſcribit regia. (z) Zelum ſuum pro Religione purâ adverſus *Pietaſtros* publico Edicto declarat Rex piisſimus. (a) *Libros Symbolicos*, in vernaculam linguam translatos, in lucem prodire jubet, ut etiam illiterati ex his Religionis noſtræ puritatem & veritatem cognoſcere poſſent. (b) Famoſisſimum illum, & infenſisſimum hoſtem Gloriæ gentis Sveticæ *Joh. Conradum Dippelium* ejicit finibus Regni noſtri, poſtquam Theologi noſtri, quibus Religio pura curæ cordique eſt, errores hujus Fanatici fundamentales oſtenderant. Atque ſic *Zelum* pro Religione *Regum* Sveciæ rudi delineavi penicillo. Addant alii, quibus plus otii eſt, plura.

Ad Theologos autem Svecos me converto, illorumque Zelum pro Religione Vobis A. H, conſiderandum ſiſto. Primi, quos producendos eſſe arbitror teſtes Veritatis, ſunt *Olaus* & *Laurentius Petri*, Fratres Nericii, qui *Lutheri* diſcipuli in Academiâ Wittebergenſi fuerant, & ex ore Præceptoris cauſſas Reformandi Eccleſiam CHriſti didicerant. Hi quam primum

in

(t) *Förſäkring* A. 1719. d. 21. Febr. n. 1. & *Regerings-Form* eod. anno n. 1. (u) *Förſäkring* n. 2. (x) *Förſäkring* A. 1720. d. 22. Maji n. 1. (y) ibid. n. 2. (z) ibid. n. 3. (a) *Förnyade Placat och Förbud angäende the oloſlige Sammankomſter* &c. A. 1726. d. 12. Jan., quod ſcriptum in Linguam Germ. translatum ſubnexum eſt Concioni de Spirituali Fidelium Sacerdotio celeb. Dn. D. *Nic. Barchii* ed. Germ. A. 1726. (b) A. C. A. 1593. d. 18. Mart. in vernac. ſerm. translata.

in Sveciam venerant, luce Veritatis Evangelicæ fratres ſuos illuſtrare, & tenebras Papales diſpellere zelo pio tentabant. Neque ſucceſſu carebant illorum ſtudia, præcipue cum *Guſtavum* Erici, eo tempore Sveciæ Pro-Ducem, qui etiam Lubecæ (c) rumorem de reformanda Eccleſiâ inaudiverat, faventem haberent. Papales omnibus, ut dicitur, lacertis, divino Reformationis operi ſeſe opponebant, & in tenebris cum ſuis latere malebant, quam ob cauſſam tum ipſi Pro-Duci, tum ſtrenuis Veritatis Evangelicæ Adſertoribus, cum apertâ vi illos invadere non poterant, calumniis ſuis plebis imperitæ odium & invidiam conciliare audebant. Sed quo magis furebant, eo clarius Lux Evangelii lucere incipiebat, & furor Papalium vincere non poterat Zelotas divinitus excitatos. *Olaus Petri* ore & ſcripto cauſſam Religionis Evangelicæ ſtrenue defendebat (d) contra D. *Petrum Galle*, Pontificium Profeſſorem Upſalienſem. De Zelo præcipue loqvuntur ultima ipſius verba, quæ digna ſunt, ut heic adſcribantur. *Si Prælati Eccleſiæ*, dicebat, *hâc reſponſione offendantur*, *ſciant omnes* NB. *palmam eſſe Veritati dandam. DEUS nos in Veritate conſervet*, *Amen*! (e) Cum Paſtor Evangelicus Holmenſis primus conſtitutus fuerat, in vinea Domini tanta cura, tantâ diligentiâ, tanto Zelo laborabat, ut neque Leonina ferocitas, neque vulpina aſtutia adverſantium contra veritatem aliquid efficere poſſet. Frater ipſius *Laurentius*, primus Archi-Epiſcopus Upſalienſis Evangelicus, (f) fideliter & maximo cum Eccleſiæ commodo præfuit officio ſuo, variisque ſcriptis, quorum plurima edita ſunt, alia vero inedita in ſcriniis Eruditorum latent (g) Zelum ſuum pium & Sanctum luculentisſime demonſtravit contra *Pontificios*, *Dionyſium Beurreum*, Calvinianum Gallum, & *Joh. Ofregium*, Epiſcopum Aroſienſem, ab errore, quem in Articulo de S. Cœna fovebat, *Liquoriſtam* dictum. (h) Neque poſt illorum beatum ex hâc vita diſceſſum defuerunt in Sveciâ noſtrâ Theologi cordati, qui idem DEI opus in Eccleſiæ ſalutem cum Zelo tractarent, quorum tamen nominalem mentionem ut faciamus, temporis penuria prohibet. Recentiores itaque Eccleſiæ Doctores adducere, horumque ſcripta, quotquot in manus meas venerunt, recenſere conſtitui, è quibus ultima concluſio formanda erit, Theologos Svecos egregia Zeli ſui adverſus varios Religionis noſtræ Adverſarios edidiſſe ſpecimina. Sunt vero hæc vel generalia, vel ſpecialia. Generalia voco

(c) A. 1519. (d) Vid. D. *Baazii invent. Eccl. Sveo-Goth.* Lib. II. Cap. IV. & V. p. 164. ſqq. (e) Dn. *Joh. Guſtav. Halmann de duobus his fratribus* A. 1726. pec. ſcriptum edidit & p. 164. ſqq. *Olai* ſcripta edita & inedita recenſet. (f) *Elect.* 1[illegible]. Vid. *Baazius* c. l. Cap. XXIII. p. 257. ſeq. (g) Vid. Dn. *Halmann* c. l. p. [illegible] ſqq. (h) *Baazius* c. l. Cap. III. p. 290. ſqq. Cap. V. p. 306.

Digitized by Google

voco illa, quæ communi Eccleſiæ nomine edita ſunt. Specialia, quæ Uni alterive Eccleſiæ noſtræ Doctori debemus.

Ad *generalia Zeli ſpecimina* omnino referenda ſunt Acta Concilii Upſalienſis tempore Regis *Joh.* III. celebrati, (i) & Diſputatio Dn. Archi-Epiſcopi *Olai Martini* & *Profeſſorum Upſalenſium* cum *Joh. Forbeſio*, Scoto, habita. Hic Calvinianorum dogmata de DEO, cauſſa peccati, de voluntate DEI arcanâ, de Electione abſolutâ, de particulari merito CHriſti, de particulari vocatione gratioſâ defendere audebat; Illi vero Eccleſiæ Evangelicæ doctrinam probabant ſolide. Et Archi-Epiſcopus, concludens Seſſionem, Zelum ſuum declarabat his verbis: *Irenæus refert, veteres Germanos clauſiſſe aures ſuas, audita in DEum contumelia. Sic fateamur & ipſi, aures noſtras eſſe defatigatas auditione contumeliarum in DEum, ab hoc peregrino homine profectarum. Rogemus DEum, ut hunc ſeductum Virum convertat.* (k)

Inſigne certe Zeli Religionis ſpecimen exhibuerunt Theologi noſtri in Comitiis Holmenſibus (l) congregati, Reverendisſimi D. *Joh. Paullinus*, Archi-Epiſcopus Upſalienſis, M. *Jonas Petri*, Epiſcopus Lincopenſis, M. *Sveno Svenonis*, Epiſcopus Scarenſis, D. *Joh. Rudbeckius*, Epiſcopus Aroſienſis, M. *Nicolaus Krokius*, Epiſcopus Wexionenſis, M. *Nicolaus Æſchilli*, Superintendens Calmarienſis, & M. *Andreas Pryzig*, Superintendens Gothoburgenſis, in Cenſurâ de inſtituto & actionibus Dn. *Johannis Duræi*, Eccleſiaſtæ Scoto-Britanni, in oblato nobis pacis & Concordiæ Eccleſiaſticæ inter nos & Reformatos Calvinianos conciliandæ ſtudio. (m) Quam cordate Theologi Upſalienſes ſententiam ſuam dixerint de Libro D. *Joh. Matthiæ*, qui inſcribitur Rami olivæ ſeptentrionalis &c. teſtatur illorum peculiare Scriptum. (n)

Qvum Regi noſtro clementiſſimo (o) Libellus ſupplex â ſic dictis Reformatis exhiberetur, in quo illi Religionis exercitium publicum in regno noſtro verbis ſubmisſisſimis petebant, Theologi noſtri, nominatim D. *Olaus Svebilius*, Archi-Epiſcopus Upſalienſis, D. *Petrus Rudbeckius*, Epiſcopus Scarenſis, D. *Ericus Benzelius*, Epiſcopus Stregnenſis, D. *Carolus Carlſon*, Epiſcopus Aroſienſis, D. *Joh. Gezelius*, Epiſcopus Aboenſis, D. *Chriſtianus Papke*, Epiſcopus Lundenſis, D. *Henningus Schütte*, Epiſcopus Calmarienſis, *Benedictus Cameen*, Superintendens Carlſtadienſis, *Iſrael Colmodin*, Superintendens Gothlandiæ, *Jonas Linnerius*, t. t. Prof. Lundenſis, hodie Epiſcopus, (p) reſpon-

(i) A. 1572. quæ Holm. 1573. ed. ſub Tit.: *Een Copia aff thet ſom Handlat* &c. recuſ. Aroſiæ 1622. (k) Vid. *Baazius* c. l. Cap. XVI. p. 623. ſqq. (l) A. 1638. (m) B. D. *Rango* P. II. *Svecia Orthodoxa* C. XXIII. p. 161. illum adducit. Et B. D. *Nic. Bergius* A. 1697. eandem notis ſuis illuſtratam edidit. (n) A. 1662. 14. April. (o) A. 1693. d. 5. Aug. (p) eod. Anno d. 1. Dec.

Digitized by Google

ſpondebant, petito, ne finem obtineret, obſtare fundamentalem doctrinæ fidei noſtræ & Calvinianæ diſſenſum, probe diſcernendam eſſe tolerantiam politicam ab Eccleſiaſticâ, denique argumenta moventia, quibus in litteris ſuis uſi fuerant Reformati, fucata & nullius ponderis eſſe. Quo *Zelo*, noſtro tempore, in publicis & ſolemnibus Conventibus *Theologi Sveci* pro Religione laboraverint, non opus eſt, ut exponam, cum notisſimum ſit. Hoc dixiſſe ſufficiat: Quotquot Cultores Veritatis cœleſtis ſinceri eſſe cupiunt, non poſſunt non Deo gratias agere devotisſimas, quod Sveciam noſtram in hunc usque diem à Papismo, Calviniſmo, Socinianiſmo, Syncretiſmo, Fanaticiſmo, Indifferentiſmo aliisque Sectis, Religioni noſtræ adverſis, immunem ſervaverit.

Specialia Zeli ſpecimina adducenda reſtant. Adducam vero illa ordine Syſtematico, ut Syſtematum Oſores intelligere queant, quid Theologi noſtri in quolibet fidei doctrinæ articulo præſtiterint, & hinc gentis noſtræ, quæ nulli cedit, gloriam, niſi prorſus excœcati fuerint, cognoſcere diſcant.

Ab ipſo Capite, quod de THEOLOGIA IN GENERE agit, initium facimus. Audiamus heic Dn. M. *Priedbiörn Blanxium*. Hic enim (q) doctrinam in Theologorum Scholis uſitatam de Theologia in genere perſpicue tradit, Theologiam ſpeciatim polemicam & Syſtematicam adſtruit, myſticam vero ſpuriam improbat & rejicit. Controverſiam de Theologia impii, quæ certe non de lanâ caprinâ, ſed maximi momenti eſt, quippe ſeſe diffundens per univerſum Theologiæ corpus, contra Novatores, quos ab abuſu pietatis ſolemus vocare Pietiſtas, pie & erudite decidit, oſtendens ex uſu loquendi & ſcripturæ Veritatem illius, colligens abſurda ex contraria ſententia fluentia, Originem ejus Spiritui S. vindicans, & initium non voluntati, ſed intellectui tribuens. Quæ momenta, in hac theſi obſervanda, Theologi Orthodoxi in Germania ante complures annos cum cura inculcarunt, ut cor Palladiumque Pietiſmi deſtruerent. Et gratulantur ſibi, ut novi, enixe, atque gloriantur de conſenſu Svecorum noſtrorum orthodoxias laude conſpicuorum.

In Loco de RELIGIONE tractari ſolet odioſa illa de Syncretiſmo materia. Et heic habemus Svecos, Adſertores Religionis veræ intrepidos. D. *Olaus Laurelius*, Epiſcopus Aroſienſis, (r) *Durai* & *Calvinianorum* conatus Syncre-

(q) *In Diſp. Synod.* Anno 1718. *Londini Scan. hab. ſub moderamine Rev. Dn. D. Linnerii.*
(r) *In Oratione inaug. de Viro Theologice perfecto* A. 1648. *in Conventu Synodali* d. 5. Sept. recit. & eod. Anno Aroſiæ ed.

Digitized by Google

Syncretiſticos ſevere perſtringit. (s) Nec minori fervore Syncretiſtarum machinationibus ſeſe oppoſuit Theologus in Academiâ Aboenſi primarius, longe celeberrimus D. *Enewaldus Svenonius.* Contra *Pſeudo Catholiciſmum Romanum* in communi, & ſeorſim adverſus *Jacobum Maſenium*, Jeſuitam Colonienſem, negotiatorem Pacis Chriſto-Belialiticæ occupatisſimum, ſcripſit elegantem librum, cujus Titulus eſt: *Babylon Magna Ruens ſ. vox clamantis in Aquilone adverſus Anti-Chriſtum occidentalem.* (t) De *Syncretiſmo Joh. Duræi* & *Joh. Melleti* (u) cordate judicat: Tribus vicibus (x) Duræum nundinationes ſuas irenicas in Svecia habuiſſe venales, ſc. A. 1636. (y) A. 1664. in Regni Comitiis, ubi Conſiſtorium Regni ad antecedentia acta cordatisſime eundem remiſit & A. 1665. miſſo per Socium ſuum, *Joh. Melletum, Propemptico* ad Academias Boreales, Arctoosque pleroſque Epiſcopos & ad Academiam Upſalienſem in litteris Argentinæ d. 10. Martii exaratis, quibus tandem categorice reſponderi flagitat, & eorum reſponſum ad Henricum Curionem Bibliopolam Upſalienſem dirigi poſtulat, quod *Svenonius* refutavit. (z) De *Syncretismo* Calviniano in genere ſcribit: (a) Hic tentatus eſt 1.) *arte* apud genuinos A. C. Socios per articulorum fundamentalium conciliationem & per non fundamentalium ſ. controverſorum adhuc, ſuavem tolerantiam, donec plena pax conſtitui & amicabilis Concordia iniri posſit, quod ex *Parei* Irenico (b) probat, 2.) *violentia.* Vim enim intulerunt Arminianis, quod teſtimonio, ex incomparabili B. D. *Nicolai Hunnii Diaſcepſi* deprompto, confirmat.

Obtendunt *Calviniani Concordiam Marpurgenſem*, *Wittebergenſem*, & *Sendomirienſem*, ſed *Svenonius* noſter & hiſtorice & dogmatice oſtendit, in his nullum pro Syncretiſmo præſidium eſſe, & ſpeciatim de Concordia Wittebergenſi pronunciat, illam ſpem omnem Concordiæ inter Eccleſias A. C. & Helveticas ex imis quaſi fundamentis evertere. (c) Objiciunt *Colloquium Lipſienſe* & *Caſſellanum*, ſed nec hæc cauſſam Syncretiſtarum malam juvare, probat *Svenonius* noſter. (d) In *Harmonia Confesſionum fidei*, quæ A. 1581. Genevæ prodiit, latibula quærunt Syncretiſmi Patroni, ſed ex

 illis

(s) *Virtutes hujus Theologi elegantiſſime expreſſit Dn. Nicolaus Rudbekius* t. t. Lect. Eloqu. Gymn. Aroſ. in Panegyrico eod. anno & die, cum adminiſtrationem Eccleſiaſticam inclytæ Diœceſ. Aroſ. capeſſeret, cordatiſſimus Præſul, dicto. (t) A. 1669. Aboæ ed. (u) *In Artif. Delila Myſt.* A. 1673. Aboæ ed. p. 518. ſqq. (x) *Addendum eſt, Duræum Caſſellis* A. 1671. *miſiſſe literas ad Regem Carol. XI. in quo Pacificationis negotium ipſi commendat.* (y) *Baazius* c. l. p. 817. ſqq. (z) Conf. B. *Calovii Hiſt. Syncretiſt.* Lib. I. Cap. VI. p. 55. ſqq. (a) In Libr. cujus Tit.: *Index & judex Syncretismorum Religionis Aboa* A. 1675. ed. p. 820. ſqq. (b) p. 66. (c) *In artif. Delila* p. 591. & 600. ſqq. (d) c. l. p. 610. 611. ſqq.

illis hos protrahit Cordatiſſimus *Svenonius* noſter, quia harmonia hæc conſenſum utriusque partis non probet, ſed potius diſcrepantiam præcipue in articulo de S.C. inculcet.

Calviniani appellari volunt *Proteſtantes* & *Reformati*, ſed *Svenonius* noſter, illos haud dignos eſſe, honorari hiſce Titulis, (e) reſpondet. *Calviniani* pro *Sociis A.C.* agnoſci volunt, *Svenonius* contradicit, quia non *invariatam*, ſed *variatam Confesſionem* amplectantur. (f) *Reformati ſic* dicti Calvinianorum titulum adſumere detrectant, ſed noſter ex Athanaſio concludit: *Par eſſe, ut, quorum pravam opinionem receperunt, eorum quoque vocabula & titulos accipiant.* (g) *Calviniani ſe omnes A.C. articulos admittere, gloriantur*, ſed *Svenonius Philippi Melanchthonis* depravationem aut mutationem illis opponit (h) in ſubſidium vocatis Scriptis *Hutteri* & *Calovii.* Judicium *Svenonii* de *Philippo Melanchthone*, (i) *Turretino* & aliis recentioribus Pacificatoribus conſiderandum proponimus. Calvinianos non ſalutariter credere (k) non ſalutariter docere, (l) non dici poſſe pios, (m) *Svenonius* judicat. *Svenonius* Libri concordiæ Bergenſis auctoritatem zelo tuetur pio. (n) Dn. *Erici Othelii* mentionem facere hoc etiam loco tenemur, quippe qui contra *Pareum* & *Anonymum* probat: Calvinianos à nobis in fundamento fidei diſſentire. (o)

Ad locum de SCRIPTURA S. progredimur. En iterum Veritatis Teſtem D. *Svenonium*, Virum noſtrâ laude majorem, qui Calvinianos inter illos refert, qui non ſolum Sacræ Scripturæ Majeſtatem in communi extenuant, ſed & divinam virtutem & vim ad edendos effectus ſpirituales, regenerationis, illuminationis, converſionis eidem derogare directè & indirectè moliuntur. (p) Verbi divini efficaciam contra *Schwenckfeldianos*, *Weigelianos*, *Anabaptiſtas*, *Rathmannum*, *Movium*, *Georgium Calixtum* & *Joh. Muſæum*, defendit Dn. *Johannes Lechander*. (q) Sacræ Scripturæ exiſtentiam contra *Pontificios*, *Atheos & Naturaliſtas*, *Eduard. Herbertum*, *Baronem de Cherbury*, *Benedictum Spinoſam*, *Thomam Hobbeſium*, & *Iſaacum Peyrerium*, Præ-Adamitarum conditorem, probat D. *Martinus Hegardt*, *S. Theol. Prof. Lundenſis*, (r) idemque in Explicatione definitionis Scripturæ virgula cenſoria merito notat *Pontificios*, *Calvinianos*, *Arminianos*, *Weigelianos*, *Böhmium*, *Democritum* & *Novato-*

(e) *In Artificio Delila myſtico* p. 220. 221. ſqq. & in *Appendice Lyſtro-doxia Jeſu* p. 334. (f) *in Artif. Del. myſt.* p. 620. ſqq. (g) c. l. (h) c. l. (i) c. l. p. 621. (k) c. l. p. 628. (l) p. 629. ſq. (m) ibid. (n) p. 631. (o) *in Diſp. de tribus univerſalibus æterna hominum ſalutis cauſſis, dilectione, redemptione & vocatione abſoluto Calviniſtarum decreto oppoſita*, *quam* A. 1648. *Upſalia ſub moderamine D. Laurentii Stigzelii defendit*, §. 59. Confect. II. (p) *in Artif. Del. myſt.* p. 401. (q) Diſp. *de Efficaciâ Verbi Divini* A. 1694. Upſ. hab. (r) Diſp. Synod. *de Scriptura Sacra* A. 1722. hab. c. l.

Novatores modernos, ſpeciatim *Spenerum*, *Köpkenium*, *Arnoldum* & *Zieroldum*, (s) contra *Traditiones Humanas*, Pontificiorum Aſylum, erudite diſſerit D. *Joh. Esbergius*. (t)

Quid vero de ARTICULIS FIDEI, cujus unicum & adæquatum principium eſt Scriptura Sacra, ſtatuunt *Sveci* noſtri? Reſpondeant Viri Celeberrimi D. *Johannes Esbergius* & Dn. Prof. *Andreas Rydelius*. Ille enim doctrinam de Articulis fidei fundamentalibus (u) diſtincte explicavit, & errores *Pontificiorum*, *Calvinianorum*, *Syncretiſtarum* & *Pietiſtarum* refutavit. Hic vero (x) eandem materiam accurate tractavit contra Perſonatum *Friedlibium* (y) *Chriſtianum Thomaſium*, (z) *Juſtum Joachimum Breithauptium*, (a) *Joachimum Langium*, (b) *Pfaffium*, *Turretinum*, *Strimeſium*, aliosque Reformatos irenicos. Certe celeberrimus Vir ſobrie philoſophari didicit, quod non tantum ex hoc ſpecimine Theologico, ſed etiam ex omnibus aliis ab ipſo editis ſcriptis eruditis, quæ cum fructu leguntur, concludi poteſt.

Sed tranſeamus ad *Articulum de DEO*. Cognoſcitur DEUS, ut notum eſt, cum è Lumine *naturæ*, tum è lumine *ſcripturæ*. Hinc orta eſt diſtinctio, in Theologorum Scholis uſitata, inter notitiam DEI *naturalem* & *revelatam*. De hâc infra diſſerendi dabitur locus. Illam vero dari, multi negarunt, quibus è noſtris recte contradixit Dn. *Ericus Liung*, Prof. Theol. extraordinarius Upſalienſis. (c) Cui tamen in eo, quod ex mente *Muſæi* illam inſitam dixerit *potentiâ proximâ*, adſtipulari non poſſumus. (d) Ex inſtituto vero materiam hanc tractavit D. *Bonde Humerus*, cujus ſententiam orthodoxam ὡς ἐν συνόψει dabimus. Deſcribit Theologus, νῦν ἐν ἁγίοις, nimirum diverſitatem Θεογνωσίας naturalis pro varietate objectorum. Diſtinguit illam, ut vulgo fieri ſolet, in inſitam & acquiſitam. Probat exiſtentiam illius. Quousque ſe hæc extendat, & quam obligationem in nobis

(s) c. l. Cap. II. (t) in Diſp. Syn. A. 1699. hab. (u) In Diſpp. A. 1705. & 1706. ſq. hab. (x) *In Diſſert. Syn. de Artic. Doctrinæ fidei*, Lond. A. 1729. ed. (y) *Qui odium doctrinæ fidei effundit in innocentes terminos.* (z) *Qui voces Theologicas ignorans in hanc de Articulis & fundamento fidei controverſiam parum prudenter ſe ingeſſit; fundamentum fidei in amore DEI & proximi odioque & contemtu ſui ipſius conſtituit, vocem Articuli non ab* ARTU, *ſed ab* ARTE, *ut orthodoxis ægre faceret, derivare voluit. Hæreſin in Senſu Scripturæ non eſſe errorem dogmaticum docuit; Immo infamem Apoſtaſiam publico judicio adprobavit, liquido negans inter nos & Papales diſſenſum eſſe fundamentalem.* (a) *In Diſp. de Hæreſi* p. 21. *fidei fundamentum in unione hominis cum DEO ponit.* (b) *Easdem cum Breithauptio inflat tibias.* Conf. T. II. Anti-Barb. Prop. IV. p. 485. (c) *In Diſp. de Imagine DEI in homine & ejus reliquiis* A. 1685. Upſal. hab. Cap. III. §. 6. (d) Conf. B. D. *Zach. Grapii Diſp. de Methodo Carteſiana convincendi Atheos* A. 1700. Roſtoch. hab. §. XI.

Digitized by Google

bis generet, oſtendit. Differentiam illius à revelata inculcat, & probata Theologiæ naturalis veritate, neceſſitate & conformitate cum Theologiâ revelata, multiplicem ejus uſum & tandem inſufficientiam ad ſalutem æternam conſequendam docet. (e) In Antitheſi *Arminianorum* ſ. *Remonſtrantium*, *Neo-Photinianorum*, ſ. *Socinianorum*, *Puccianorum*, *Pelagianorum*, *Semi-Pelagianorum*, *Scholaſticorum*, *Enthuſiaſtarum*, *Flacii & Hoffmanni*, *Atheiſtarum*, *Epicuræorum* & *Naturaliſtarum* præcipuos errores circa hunc locum fugiendos indicat, & improbat (f) illosque pro impietatis & abſurditatis ſuæ gradibus ad ſequentes refert claſſes. Vel *inſitam* tantum cognitionem DEI naturalem negant; vel *inſitam* & *acquiſitam* ſimul tollere volunt: vel veritatem omnem huic notitiæ denegant; vel cognitionem DEI naturalem nimis extollunt & amplificant; vel denique ad eum dementiæ gradum adſurgunt, ut ipſam divini Numinis exiſtentiam animo, verbis, vel ſaltem factis negent. En luculentisſimum teſtimonium pro Sveciâ Orthodoxa! (g) De *notitia* DEI *revelata* tam *abſolute* quam *relative* conſiderata diſſeruit in Anniverſaria Synodo Gothoburgenſi, hujus Diœceſeos Epiſcopus gravisſimus Dn. *M. Laurentius Billichius*. (h) Quæ ad notitiam hanc *abſolute* conſideratam ſpectant, præmiſſâ deſcriptione DEI, Reverendisſimo Theologo quinque momentis includere placuit. Initio agit de nominis ſublimitate, ubi etymologiam, ſvnonymiam (arrigant aures Terminorum Oſores!) & homonymiam illius conſiderat, probatque ſigillatim vocem DEI ſoli DEO competere. Deinde eſſentiæ realitatem oſtendit, tum ex voce Spiritus, tum ex eſſentiali DEI nomine JEHOVAH, tum ex attributorum veritate ac varietate, tum ex operum divinorum pluralitate. Porro probat *Unitatem*. Deum ſcilicet unum dici non *genere*, quaſi nomine DEI plures Dii, ſpecie diverſi, ſub latitudine ſuâ comprehenderentur, quod *Gentilium* & *Socinianorum* figmentum eſt. DEUM dici unum non ſpecie, quia DEUS ſpecies non eſt, neque genus, neque differentiam habet; DEUM dici unum, non *eſſentiali totalitate*, ut ſomniavit *Zanchius*, Calvinianus, (i) tres perſonas vocans tres partes. DEUM dici unum non per *modum ſpecierum monadicarum*, quæ *Crellii*, Sociniani, ſententia fuit. (k) Unum dici DEUM non *conſenſu* & *voluntate*, ut olim *Ariani* docuerunt, *nec ſubſiſtendi ratione*, ut *Sociniani* fingunt, ſed *eſſentiâ* vel *naturâ*, quibus ultimo addit *attributorum veritatem* & *varietatem*. Ad notitiam DEI revelatam, *relative* conſideratam, refert

(e) In Diſp. Syn. A. 1720. Lond. Scan. hab. de notitia DEI nat. Cap. I. (f) c. l. Cap. II. (g) Conf. Dn. Epiſcopi *Laurentii Billichii Diſp. Syn. de DEO* A. 1674. hab. Sect. I. Dn. D. *Daniel Djurberg diſpp. de Theol. nat.* 1705. Upſ. hab. (h) Cit. Diſp. Sect. II. (i) Libr. II. de 3. Elohim Cap. VII. p. 19. (k) *Libr. de DEO & Attrib. divin.* Cap. XVII.

ſert Vir Celeberrimus *Trinitatis conſiderationem*, ubi vocabulum Trinitatis concretive Biblicum eſſe docet, & corrigendam cenſet vocem Svecanam *Treefaldigheet*, (l) cum triplicitas ſimplicitatem tollat & plurium Entium poſitionem requirat. Diſſerit deinde de perſonarum pluralitate, ſubjunctis ſingularum perſonarum definitionibus, quas ſtudio evolvit, & porro realem earum inter ſeſe diſtinctionem tradit, ubi rejicit *Tritheitarum eſſentialem*, quam fingunt, nonnullorum *Reformatorum modalem*, *Socinianorum virtualem* & *Anabaptiſtarum verbalem* differentiam. Et concludit: Perſonas ab eſſentiâ divinâ non realiter, ſed ratione cum fundamento in re diſtingui. Hæc eſt doctrinæ Summa Theologorum noſtrorum in hoc arduo fidei articulo, quam hoc præcipue tempore, quo damnabilis Socinianiſmi gangræna late proh! ſerpit & graſſatur, cum cura noſtris, quorum animæ nobis ſunt concreditæ, ut antidotum proponimus & propinamus. (m)

DEUS autem Triunus, Naturæ Parens potentisſimus, Sapientisſimus & optimus manifeſtavit ſe per *Creationem*. Hæc prima DEI actio eſt ad extra externa, & vinculum, nos ad agnoſcendum colendumque Creatorem obligans. Atque de hâc fidei noſtræ doctrina erudite & orthodoxe diſſeruiſſe noſtros Theologos, jam oſtendendum eſt. Primus vero, quem heic produco, eſt B. *Joh. Florander* in Regio noſtro Gymnaſio quondam Lector Theologiæ. Edidit ille quæſtiones Theologicas de *Creatione*, easque in Synodo anniverſariâ publice defendit. (n) Ex Summariis, noſtro ſcopo inſervientibus, quæ recenſebimus, conſtabit, B. Virum doctrinæ, in Orthodoxorum Scholis receptæ, ſtricte inhæſiſſe. Poſtquam enim probaverat, Creationem rerum omnium primum DEI opus eſſe, in quo DEUS in tempore exterius ſeſe manifeſtavit, principium cognoſcendi indicat, *lumen* ſc. *naturæ*, quatenus generaliter Creatio conſideratur, & *lumen Scripturæ*, quatenus illa ſpecialiter intelligitur, & à Moſe antiquisſimo Scriptore deſcribitur. Curioſitati haud ſanæ quærentium, quid DEUS ante mundi Creationem fecerit, occurrit. Articulum de Creatione creditu neceſſarium eſſe, probat. Variam vocis *Bara* in ſacro Codice acceptionem evolvit, adducitque alia verba, quibus Spiritus S. in deſcribendo hoc opere ſtupendo, uſus eſt. Deſcriptione Creationis ex D. *Hafenreffero* allatâ, Creationis opus denegat Creaturis, & vindicat SS. Trinitati libere Creanti: Symbolum Apoſtolicum, Patri Creationem tribuens, explicat. *Keckermanni* Errorem de Perſonis Trinitatis causſis Creationis Sociis rejicit. DEI bonitatem

(l) Vid. B. *Soceri mei D. Mich. Siricii Diſp. inaug. de DEO*, quæ Tom. IX. Diſpp. Gieſſ. inſerta eſt, th. 56. (m) Conf. Dn. *Petri Guſtavi Liungberg erudita Oratio Panegyrica de DEO Uno & Trino* A. 1703. ed. (n) A. 1676. d. 26. & 27. Junii.

tatem pro cauſſa impulſiva agnoſcit. Ex nihilo omnia creata eſſe rationibus adſtruit firmisſimis. Quomodo ſingula corpora naturalia in indigeſtâ mole, à Moſe deſcripta, comprehenſa fuerint, indicat, refutatque *Comenii* ſententiam de mixtura Atomorum. Ordinem in Creatione à DEO obſervatum præeunte Scriptura exhibet, & oſtendit, elucere ex rerum creatarum ſerie omnipotentiam, immenſam bonitatem, ſapientiam & conſtantiam Creatoris. Rerum Creatarum finem *primarium*, DEI gloriam, & *ſecundarium* hominum utilitatem ſtatuit. Rerum Creatarum Varietatem delineat; De aquis ſupra cœleſtibus duas Doctorum ſententias cum rationibus ſuis allegat, deciſionem, quam tamen publico conflictui reſervat, non addens. Hactenus *Florandri* ſententiam audivimus. Succedat alius è noſtris Svecis. Et hic eſt Dn. *Nicolaus Clewbergius*, qui ad mandatum & moderamen Theologi immortalis memoriæ, D. *Erici Benzelii*, Archi-Epiſcopi Regni Sveciæ eminentisſimi, & ex conſenſu Venerandæ Facultatis Theologicæ Upſalienſis hanc de *Creatione* materiam ſtudioſe tractavit thetice & polemice. (o) Initio in probatione theſeos occupatus eſt. Oſtenſa operis ſublimitate, varias voces, in ſacris litteris occurrentes, quibus hoc opus deſcribitur, explicat. Progreditur ad definitionem Creationis, in cujus enucleatione hanc ſoli DEO & in ſpecie toti SS. Trinitati tribuit ſubjuncto monito ſalutari, tres Divinitatis perſonas recte quidem dici *adjective* tres Creantes, ſed non *abſolute* & *ſubſtantive* tres Creatores, vel tres cauſſas principales, vel cauſſas ſocias, vel tres autores Creationis. Omnia creata eſſe ex nihilo vel immediate vel mediate ex mente Theologorum communi adſerit, additque quæ ad formam ſpectant. Poſt hæc rerum productarum ordinem ex Moſe deſcribit. Modum creationis propter intellectus noſtri imbecillitatem, perfecte cognoſci non poſſe, recte colligit è Creationis ſublimitate. Ad terminum & effectum Creationis refert omnes Creaturas, DEIque gloriam, ut finem ultimum, & hominum utilitatem ut intermedium conſiderat. Deinde in *Anti-Theſi* diſputat contra *Pontificios*, *Calvinianos* & *Scholaſticos*, quorum aliqui creationis ordinem & modum, quem Scriptura refert, è Lumine naturæ apodictice demonſtrabilem, aliqui virtutem creativam creaturæ communicabilem, aliqui creaturam ab æterno DEO coæternam creabilem eſſe ſomniarunt, aliqui denique creationem quorundam ad ignominiam defendunt. Diſputat contra *Arianos*, *Dulianos* & *Socinianos*, qui contenderunt, Filium fuiſſe in creatione Patris inſtrumentum, eundemque nonnulla in creatione Spiritui S. ceu miniſtro perficienda commendaſſe blasphemarunt. Diſputat adverſus *Stoicos*, fingentes duo principia

(o) In *Diſp. Synodali* A. 1705. d. 13. 14. 15. Junii ventilata.

cipia ſc. *mentem* ſ. *DEUM* & *materiam*, quam ab æterno fuiſſe confuſum Chaos, & certo demum tempore à mente efformatam. Diſputat contra *Materiarios*, materiam DEO, aut coæternam aut præexiſtentem ſtatuentes. Diſputat contra nonnullos *Patres* & *Philonem Judæum*, qui docuerunt, omnia ſimul & uno momento creata eſſe. En pium Zelum!

Inter manuum DEI opera principem tenere locum *Angelos* & *homines*, conſtat. De illis vero ex profeſſo egit Dn. *Andreas Olaus Rhyzelius*, Archi-Præpoſitus Lincopenſis celeberrimus. (p) Omnia, quæ Vir Eruditisſimus ἀκριβῶς congesſit, hoc loco repetere non licebit. Omisſis itaque iis, quæ Theſin Orthodoxam probant confirmantque, *Elenctica* tantum ab ipſo prolata, pace veſtrâ, vel indice digito tangam. *Initio* differit de *Angelis* in genere. Exiſtentiam illorum contra *Sadducæos*, quos excuſare voluit *Henricus Kippingius*, (q) ex Sacra Scriptura adſtruit, notatis ſimul *Anabaptiſtis* aliisque, ut fas erat, virgulâ cenſoriâ. *Socini*, ejusque Aſſeclarum, & *Pontificiorum* errorem, Angeli ſc. nomen nuspiam Creatori eſſe attributum, ſolide refutat. Spiritualitatem Angelorum, Patrum ſententia, quæ contraria videtur, rite expoſitâ contra *Zanchium*, Calvinianum, defendit. *Priſcillianiſtarum* & *Manichæorum*, quos Patres Concilii Bracarenſis anathemate perſtrinxerunt, delirium de angelorum creatione ex luce, aut materia præexiſtente, vel ex ſubſtantia DEI, deteſtatur. *Scholaſticorum* ſententiam de Angelorum ſtatu purorum naturalium refellit. *Pontificiorum* & *Calvinianorum* opinionem, meritum Chriſti angelis profuiſſe ad gratiam, ut eam in creatione ex prævisſis Chriſti meritis acceperint, & ἄγραφον & ἀντίγραφον eſſe, monet. *Porro* de *Angelis Bonis* loquitur. Horum confirmationem in bono, non ex propriâ illorum obedientiâ, eâque meritoriâ, qui manifeſtus *Pontificiorum* Error eſt, ſed ex εὐδοκίᾳ Summi Numinis deducit. De Angelorum officiis differens, fabuloſam Angelorum diſtinctionem *Pontificiorum*, *Pſeudo-Dionyſii* & *Scholaſticorum*, qua illos in adſiſtentes & miniſtrantes dispeſcunt, quibus *Scaliger* addit alios, qui orbes cœleſtes moveant, repudiat. Quæ de Angelo tutelari ſentit, orthodoxorum ſententiæ ſunt conformia. Angelolatriam *Pontificiorum* toto animo abominatur. Obſervationem de viſionibus & Colloquiis Angelorum *Enthuſiaſtis* & *Viſioniſtis* merito opponimus. *Denique* ad malos Angelos progreditur. Et horum exiſtentiam contra *Hobbeſium* & *Benedictum Spinoſam* probat, ſimulque perſtringit delirantem *Beckerum*. *Joh. van Dalen*, Medici Amſtelodamenſis, figmentum de Oraculis

(p) In *Diſp. Synodali* de *Angelologia* A. 1722. *publica Diſquiſitioni ſubjecta.*
(q) Libr. I. Antiqu. Rom. C. I.

culis rejicit. Contra Fratres Miſericordiæ, *Origenem*, *Peterſenium*, *Democritum* ſ. *Dippelium*, *Autorem æterni Evangelii* (Peterſeniam ſc. quod addo) *Georgium Paulum Siegvolck* (qui inter ψευδωνύμους locum habet) recte adſerit, Diabolos ſpe liberationis deſtitui. Quod ultimum argumentum ante ipſum etiam diligenter excuſſit meritiſſimus Theologus Dn. *Joh. Esbergius.* (r)

Videamus nunc, quid Sveci noſtri de *Homine* doceant. Adamum primum omnium hominum fuiſſe contra *Iſaacum Peyrerium* Gallum orthodoxe docent B. *Joh. Florander* (s) & Dn. *Nicolaus Clewbergius* (t) Primos noſtros parentes concorpores conditos eſſe, recte negat *Florander* (u) contra ſecus ſentientes. *Felicitatem* Adami in ſtatu integritatis *phyſicam*, *Oeconomicam*, *politicam & Eccleſiaſticam* perſpicue oſtendit idem. (x) Evam, matrem viventium è coſtâ de latere dormientis Adami exemptâ eaque NB. animatâ, ædificatam eſſe, ut eſſet Adamo adjutorium, *Clewbergius* noſter (y) ad mentem Orthodoxorum ſtatuit. Animæ propagationem contra Calvinianos aliosque probat D. *Nicolaus Rudbeckius* Epiſcopus Aroſienſis. (z) Et hæc dicta ſufficiant de primo potentiæ divinæ opere, ſc. Creatione..

Jam alterum potentiæ divinæ opus, quod eſt *Providentia DEI*, conſiderandum venit. Noſtri certe Theologi orthodoxiam ſuam in hoc loco etiam luculentiſſime teſtatam fecerunt. Thetica, quæ in Scholis noſtris inculcari ſolent, tradidit ſufficienter ad mandatum & moderamen Theologi ſummi D. *Erici Benzelii* Dn. *Ericus Hanſſen* (a) Anti-thetica quæ noſtræ conſiderationis ſunt, ex aliorum colligere placet ſcriptis. B. D. *Nicolaus Eſchillius* (b) Dei Sanctitatem adverſus *Calvinianos*, qui illum peccati cauſſam faciunt, egregie defendit. Controverſiam: an providentia rebus præſcitis inferat neceſſitatem, contra *Calvinianorum* dogma decidit. Cœlum Beatorum Creatum eſſe negat Diſſentientibus *Calvinianis* (c) *Calvinianis* facientibus DEum ex-legem contradicit (d) B. D. *Olaus Laurelius* (e) ad quæſtionem: An providentia divina verſetur circa actiones malas, ita reſpondet: DEum verſari circa actiones malas non volendo & adprobando, ſed ad bonos fines, ſuam in Gloriam & Eccleſiæ ſalutem ſpectantes, easdem dirigendo, certasque præfigendo metas, ac diaboli & malorum hominum conatus inhibendo; quæ deciſio Anti-Calviniana eſt (f) DEum non velle, ſed permit-

(r) Diſſert. IV. *de Artic. fidei non fundament.* §. IX. ſqq. (s) c. l. Qv. XXXI. (t) c. l. Cap. V. Qv. XI. p. 32. (u) C. l. Qv. XXII. (x) c. l. Qv. XXIII. (y) c. l. cap. III. §. XXI. p. 23. (z) in *memoriali LL. Theol.* A. 1673. *Aroſia* ed. L. VIII. (a) in *Diſp. Synod. de Providentia DEI* A. 1707. *Upſ.* hab. (b) in *Diſp. de Creat. & Provid.* A. 1635. *Calmar.* hab. §. XXIII. ſqq. (c) c. l. §. XXXV. ſqq. & in Qv. ſubj. Dec. I. Qv. 3. (d) c. l. Dec. III. Th. 7. (e) in *Comp. Th. Aroſ.* A. 1669. ed. (f) c. l. Qv. III. p. 13.

Digitized by Google

permittere mala ex Pſ. V, 5. docet, quod *Calvinianis* contrariatur, *Calvinianorum* errorem de præſcientia DEI, quam dicunt rebus præſcitis abſolutam inferre neceſſitatem refellit (g) Terminum vitæ fatalem, pro quo *Calviniani* militant, profligat (h) En egregia Zeli Theologici ſpecimina!

Quæ de *Imagine DEI in homine integro* dicenda ſunt, exponit B. *Ericus Liungius* (i) qui erudite hanc materiam tractavit. Dabimus ſummam. Onomatologia nervoſe exhibita (k) ad Pragmatologiam progreditur Theologus Clariſſimus. Et ex hac, quæ hujus loci ſunt, decerpimus ſequentia. *Scholaſticorum* & *Pontificiorum* ſtatum purorum naturalium, quem deſcribunt per rebellionem partium ſuperiorum & inferiorum, rejicit (l) *Anthropomorphitarum* & *Origenianorum* doctrinam, qua imago DEI in corpore & lineamentis collocatur, improbat (m) Dominium in Creaturas irrationales & omnem terram non fuiſſe partem imaginis recte adſerit contra *Chryſoſtomum*, *Theodoretum* aliosque (n) Nullas, ſenſu biblico, imaginis ſupereſſe reliquias adverſus *Theodoricum Hackſpannium* docet (o) *Carteſium*, ideam DEI nobis ingenitam ſtatuentem, & *Claubergium*, illum defendentem, refutat (p) ut paucis multa dicam, zelum cum moderatione & modeſtia exercuit.

Imagini concreatæ per lapſum totaliter perditæ ſucceſſit penitisſima naturæ depravatio. Hinc ſequitur in Syſtemate noſtro Articulus *de Peccato.* De hoc igitur differentes audiamus Svecos noſtros. Audiamus, inquam, celebratisſimum Theologum D. *Olaum Laurelium.* Quum quæritur: An DEus ſit cauſſa peccati, ſeu Autor mali culpæ? reſpondet: Nulla ratione, ſuamque reſponſionem clarisſimis Scripturæ dictis confirmat (q) *Calvinianis* impie & blaspheme in ſuis ſcriptis pro erroribus: DEum Adami lapſum voluiſſe, & ſuo modo procuraſſe, it. DEum Adamum ad lapſum prædeſtinaſſe, ut hâc ratione gloriam, juſtitiam & miſericordiam ſuam manifeſtaret, pugnantibus cordatisſime obviam ivit (r) Cum de induratione Pharaonis aliorumque impiorum & reproborum diſputat, DEI Sanctitatem contra *Calvinianos* ſtrenue tuetur (s) Phraſin illam, apud Theologos occurrentem, DEum peccata peccatis punire, ita exponit, ut DEus ab omni malo culpæ immunis maneat. Eodem Zelo *Calvinianorum* & *Calixtinorum* de Cauſſa peccati dogmata impugnavit D. *Enevaldus Svenonius* (t) Plura vero qui deſiderat, vel generalia, vel Specialia, Zelum Theologorum noſtrorum pro divinâ veritate declarantia,

(g) c. l. Qv. VI. p. 14. (h) c. l. Qv. VII. p. 14. (i) in *Diſp. de Imag. DEI* &c. A. 1685. *Upſ.* hab. (k) c. l. p. 1. ſqq. (l) c. l. Cap. II. §. VI. p. 11. (m) c. l. §. 16. p. 17. (n) c. l. §. 20. p. 20. (o) c. l. C. III. §. 1. ſqq. p. 21. ſqq. (p) c. l. p. 29. ſqq. (q) in *Compend. Theol.* p. 29. ſqq. (r) c. l. Qv. 3. p. 30. (s) c. l. Qv. 5. p. 32. (t) in *Apologetico DEI* A. 1681. *Aboæ* ed. p. 1. ſqq. p. 64. ſqq.

Digitized by Google

clarantia, evolvat ſcripta D. *Joh. Gezelii*, Patris (u) *Georgii Schröderi*, (x) *Erici Brunnii*, (y) *Petri Schomeri*, (z) & *Joh. Esbergii*. (a)

Ad locum de *Libero Arbitrio* venio. Svecorum ſententiam de Libero arbitrio dilucide & ſolide exponit Vir profecto Summus, & inter maximos ævi noſtri Theologos ſuo jure ponendus, Reverendisſimus & Eminentisſimus regni Svedici hodie Archi-Epiſcopus D. *Matthias Steuchius* (b) Statim ſub initium Diſſertationis (c) modum loquendi de *Libero Arbitrio*, qui nonnullis, cum inferre videatur libertatem omnimodam, minus commodus viſus eſt, ut illum de *viribus humanis*, quo tota hæc quæſtio in medio relinquatur, inſcribere maluerint, defendit. *Neque*, inquit, *caret res iſta ſuis utilitatibus. Sed* NB. *in gratiam Adverſariorum quicquam mutare probibet veritas, aſtutia contradicentium, præſcriptio temporis, ſobria termini hujus expoſitio.* En Zelum moderatione Theologica temperatum! Sententiam *Calvinianorum*, confugientium ad determinationem Voluntatis divinam, per quam ſtatuunt, Voluntati humanæ inferri necesſitatem immutabilitatis cavendam eſſe, non tantum candide monet, (d) ſed & in ſequentibus, quæ ad argumenti hujus expoſitionem pleniorem faciunt, adducit. *Philippi Melanchthonis* Synergiſmum, quem in *variatâ Confeſſione* & *Examine ordinandorum* ſatis prodidit & auxit, cum ſcriberet: tres eſſe cauſſas converſionis, verbum DEI, Spiritum S. & voluntatem noſtram cordate improbans, hæc ſubdit: *Sed ſicut Philippi defenſionem in tam audaci & temerario facinore nemo Orthodoxorum facile ſuſceperit, ita ſummâ cum injuriâ Confeſſioni & Confeſſoribus imputaretur ille Error.* (e) Librorum Symbolicorum Autoritatem adverſus Symbolomaſtigas, qui illis errores imputare ſolent, erudite adſtruit. (f) Monitum de Scripto *Muſæi*, quod de *Converſione* agit, ſtudiorum hujus temporis Renovatoribus, qui ex illo ſuis dogmatibus aliquam veri ſpeciem conciliare volunt, admodum ſalutare opponit. (g) Illorum, qui à pietate nomen falſo trahunt, diviſionem, in *Carnalem* & *Spiritualem* Scripturæ ſenſum, falſam & ſine fundamento eſſe ſine ambagibus pronunciat. (h) Contra illos, qui naturali virtute mediisque interpretationis ordinariis Scripturæ verba & ſententias intelligi poſſe docent, ἀκριβῶς diſputat (i) & adprobat ſententiam magni *Fechtii*.

De

(u) *Diſp. Inaug. de peccato* An. 1661. *ſub præſidio D. Laurentii Stigzelii Upſ.* hab. (x) *Diſp. Syn. de Peccato in gen. & in ſpec. de peccato primi hominis* A. 1687. *Gothob.* hab. (y) *Diſp. de Peccato Orig. Upſ.* A. 1647. hab. (z) *Diſp. de Peccato in Spirit. S.* (a) *Diſp. de Peccato in Spirit. S.* A. 1706. (b) in *Diſp. Syn. ad Artic. A. C.* XVIII. *de L. A.* A. 1708. *Londini* hab. (c) §. IV. p. 2. (d) §. XIX. p. 12. (e) §. XXV. p. 15. (f) §. XXVI. p. 16. ſq. (g) §. XXXI. p. XIX. (h) §. XXXIII. p. 20. (i) §. XXXVI. p. 23.

Digitized by Google

De cognitione irregenitorum, quam Novatores carnalem appellant, diſſerens arcte inhæret ſententiæ Orthodoxorum (k) *Victorinum Strigelium*, Synergiſtarum Principem, hujusque defenſorem *Stöſſelium*, ut fas æquumque erat, perſtringit. (l) Poſtquam *Renovationis* variam acceptionem inculcaverat (m) pium ſuum Zelum demonſtrat adverſus Theologiæ hodiernæ novam methodum, cujus principale inſtitutum eſſe dicitur *reſtitutio imaginis divinæ*, cujus fons eſt *Unio cum DEO*, quæ quoque *regenitorum perfectionem partium inhæſivam* defendit. (n) Alia Orthodoxiæ documenta ſuis reſervamus locis. Dignum tamen eſt, quod heic adducatur, judicium de Convitiis, quibus Viri de Eccleſia DEI bene meriti proſcinduntur, quando Hæretici, immo Hæreticisſimi, non tantum cum Socinianis & Pontificiis, ſed & longe deterioribus comparandi, appellantur. Exempli loco adducit *Zieroldum. Habes*, ſcribit, *modio toto admenſa pietatis ſingularis ſpecimina apud Zieroldum de analogia fidei, quæ exſcribere vetat animus recti & honeſti amans. Tantum monuiſſe hoc loco viſum neceſſarium, margaritas hic fruſtra quæri, &, ſi vel invenirentur non nulla à veritate non aliena, terreri tamen modeſtum Lectorem à diris dicteriis, ut difficile ſit, ſcripto diutius immorari.* (o) En illuſtre Zeli divini animique imperterriti documentum Viri mitisſimi, communis noſtri Patris, quod Spiritus vere Evangelici, quod *Chryſoſtomi, Ambroſii, Auguſtini* lucernam olet, apprimeque teſtatur, illum ſine ullius perſonæ acceptione libere Veritatem divinam probaſſe. JEHOVAH ſit *clypeus ipſi, & merces ipſius multa valde!* (p)

Progredimur ad *principia*, à quibus dependet ſalus æterna; Sunt autem hæc *Benigniſſima Patris erga homines lapſos Voluntas, Fraterna JEſu CHriſti redemptio, & gratia Spiritus S. applicatrix.* Sequor autem *Kœnigium* meum eo confidentius, quo certius conſtat, & Svecos noſtros B. Viri Theologiam poſitivam, ringentibus etiam Novatoribus noſtri temporis, magno in pretio habere. *Benevolentia* DEI vel *univerſalis* eſt vel *ſpecialis*. De *illâ* Sententiam Svecorum Orthodoxam proponit D. *Ericus Odhelius* (q) Præmisſis ſc. iis, quæ inſtitutum & vocum expoſitionem exhibent, ſtatum controverſiæ adcuratisſime format, theſin ſolidisſime probat, Antitheſin *Calvinianorum, Bezæ, Neoſtadenſium, Dordracenorum, Piſcatoris* & *Altingii* breviter quidem, ſuffi-

(k) §. XXXVII. ſqq. p. 23. ſqq. (l) §. XLIV. ſqq. p. 29. ſqq. (m) §. XLIX. p. 33. (n) §. L. p. 34. (o) §. LXX. p. 45. (p) *Ad cæleſtia jubila hoc ipſo anno jubilæo evocatus eſt Optimus Præſul, filiumque ſuum Dn. D. Joh. Steuchium ſucceſſorem habuit rarisſimo certe exemplo, cui fauſta feliciaque quævis animitus apprecamur.* (k) in *Diſp. de tribus univerſalibus æternæ hominum ſalutis cauſſis &c. ſub Præſid. B. D. Laurentii Stigzelii* A. 1648. hab.

ſufficienter tamen in adjectis notis deſtruit. Zelus Theologi hujus omnino calculo notandus eſt albo. Ita enim (r) ſcribit: *Adverſarii ut pudendam infandi dogmatis execrandamque turpitudinem tegant, fucum faciant incautis, ac divini verbi teſtimonia jubare meridiano clariora ſi non elidant, eludant tamen, effugia quærunt in fraudulentis, quas diu commenti ſunt, diſtinctiunculis.* Impietatem *Calvinianorum*, hoſtium univerſalis gratiæ DEI, deteſtatur etiam celeberrimus Theologus *Dn. D. Daniel Diurbergius.* (s) De *hâc*, quæ in *prædeſtinatione* conſpicua eſt, ex profeſſo egit B. *Nicolaus Æſchillus.* (t) Electionem & prædeſtinationem eſſe Synonyma, quod negant *Calviniani*, docet Theologus meritisſimus (u) Diſtinctionem Voluntatis DEI in abſconditam & revelatam, qua etiam noſtrates utuntur, orthodoxam explicat (x) Calvinianorumque heterodoxam rejicit. De diſtinctione in Voluntatem ſigni & beneplaciti à Scholaſticis & noſtris Theologis uſurpatâ ſatis caute diſſerit (y) & *Calvinianos* illum in alienum & impium ſenſum detorquere evincit (z) dubiaque quæ obſtare videntur, ſolvit (a) conf. *Svenonius.* (b) Neceſsitatem diſtinctionis in voluntatem antecedentem & conſequentem urget, nec non illius fundamenta ſedulo & operoſe inculcat. (c) *Electionem non abſolutam eſſe* contra *Calvinianos* probat (d) ad evertendum *Calvinianorum abſolutum decretum* (e) aliquot hypotheſes præmittit, quas deinde (f) adcurate adplicat. Electionis certitudinem, à *Calvinianis* negatam, adſtruit ſubjuncto hoc judicio: *Calviniani*, ait, *abſoluto ſuo decreto & diſtinctione voluntatis ſigni & beneplaciti omnes conſolationes de certitudine Electionis evacuant, ut & omnia ſalutis media, gratiam DEI, meritum Chriſti, vocationem, Sacramentorum efficaciam particulariter ad ſolos Electos reſtringendo. Atque ſic* NB. *omnes portas deſperationi & Epicureiſmo aperiunt.* (g) Electos fidem & Spiritum S. per peccata mortalia excutere contra eosdem probat, illorumque argumenta contraria, præmisſis hypotheſibus, confutat. (h) Idem argumentum de *Electione* Dn. D. *Diurbergius* expoſuit (i) unum alterumve Zeli ſpecimen producemus: *Gravem*, inquit, *committunt errorem Reformati, negando, Chriſtum mediatorem eſſe cauſſam meritoriam noſtræ in Librum Vitæ inſcriptionis ſeu Electionis, ſed ſolum modo inſtrumentum exequendæ prædeſtinationis, quibus adſtipulantur Sociniani* (k) Pergit: (l) *Hallucinantur*

(r) c. l. §. XXVI. (s) in *Diſp. de Libro vitæ æternæ, quam Dn. Daniel Trautzel, Regii Colleg. Strengn. Lector Upſ.* A. 1701. *ipſo Præſide defendit.* (t) in *Diſp. de Prædeſt. &c.* A. 1647. *hab. & Lincop. excuſa.* (u) c. l. §. VIII. conf. *B. Laurelius in Comp. L. de Prædeſt. contra Piſcatorem.* (x) c. l. §. XVI. (y) c. l. §. XVII. (z) c. l. §. XVIII. (a) c. l. §. XIX. (b) in *Apol. DEI* p. 390. ſqq. (c) c. l. §. XX. ſqq. (d) c. l. §. XXXVII. ſqq. (e) §. XLIII. (f) §. XLIV. (g) conf. *Laurelius* c. l. Qu. 7. p. 40. (h) c. l. LIV. (i) *In Diſp. de Libro vitæ æternæ.* (k) c. l. *in Antith.* §. III. p. 31. (l) c. l. §. IV.

Digitized by Google

